

LAUDATIO FUNEBRIS
CELSISSIMI, 28
AC
REVERENDISSIMI
S. R. I. PRINCIPIS
FRANCISCI
E COMITIBUS
BARKÓCZY
DE SZALA
PERPETUI IN PALÓCZ, ET TAVARNA,
MISERATIONE DIVINA
ECCLESIAE METROPOLITANAE STRIGONIENSIS
ARCHI-EPISCOPI,
SACRAE SEDIS APOSTOLICÆ LEGATI NATI,
PRIMATIS REGNI HUNGARIÆ,
E J U S D E M Q U E



SUMMI, ET SECRETARI CANCELLARII, INSIGNIS ORDINIS
EQUITUM S. STEPHANI REGIS HUNGARIÆ APOSTOLI MAGNÆ
CRUCIS EQUITIS, ET TOTIUS ORD. PRÆLATI, INCLYTI COMIT. STRIGON.
SUPREMI, AC PERPETUI COMITIS, UTRIUSQUE S. C. ET R. A. MAJEST. ACTUALIS
INTIMI, ET EXCELSI CONSILII LOCUMTENENT. REGII CONSILIARII, EXCELSÆ ITEM
TABULÆ SEPTEM-VIRALIS CO-JUDICIS &c. &c.

D I C T A

A R. P. JOSEPHO PINTÉR, E. SOCIETATE JESU, AA. LL.
& Philosophiae, ac SS. Theologie Doctore, nunc Almæ, & Episcopalis
Universitatis Cassoviensis CANCELLARIO.

CUM IN COLLEGIATA S. MARTINI ECCLESIA TRIDUANIS
FUNERIS EXEQUIIS JUSTA SUPREMA PERSOLUTA SUNT PO-
SONII A DIE III. IDUS AUGUSTI M. DCC. LXV.

T Y R N A V I Æ,
TYPIS COLLEGII ACADEMICI SOCIETATIS JESU,
ANNO UT SUPRA.



БАРКОДЫ

Да създаде
Историята на България, и Татария

Мистерията на Дивина

Ходите на Небесните стригони

Създаде също и Книга на Германския

Град Германската крепост

Издава съдържанието

Създаде също и Книга на Германския

Град Германската крепост

Създаде също и Книга на Германския

Град Германската крепост


Издава съдържанието

Създаде също и Книга на Германския

Град Германската крепост

Издава съдържанието

Създаде също и Книга на Германския



ORATIO.



emperne præmaturo elatum funere **PRINCIPEM**, Patremque suum lugebit sancta Sedes ARCHI-EPISCOPI

STRIGONIENSIS, PRIMATISQUE Hungariæ, atque orbitatem suam fluente adhuc, neque etiam primo annorum confecto lustro lugubri de integro lamentatione, fletuque prosequetur? EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI ECCLESIAE, PATRIÆQUE PROCERES, atque ORDINES tam e Sacerdotio, quam ex Curia NOBILISSIMI, AMPLISSIMIQUE. Quænam tandem vis fati illa inexorabilis simul, simul-

A que

que inexsuperabilis esse potuit, quæ nobis alterum jam, summa Apostolici Regni Infula fulgentem ANTISTITEM, e recenti, quæ vivimus, temporum memoria, hoc deploranda magis, quo præter opinionem nostram citius accelerata morte oculis, complexibus, Animisque nostris eripuit, nec unquam redditurum a sinu nostro avulsit, abstraxitque. Credamne denique, quod tamen ipsæ lacrimæ huc confluentis mœstissimæ Patriæ, quod Urbs ista in omnem formam luctus induta, quod Præfulum, Sacerdotumque atræ vestes, quod Augusti hujus Templi tholi, laqueariaque pullo habitu inducta, atque undique menti, obtutuique meo objectum, squalloris, & luctus miserrimi spectaculum, tristissimo partim silentio, partim vocibus dolore gravissimo expressis, gemitu adeo confuso, elataque turbæ, ac multitudinis ejulatione non tam loquuntur, quam inclamat: e numero videntium ad semper victuros, post diutinam cum morbo fævissimo, multiplicique colluctationem, sed brevissimum trium duntaxat, & quod excurrit, annorum Ecclesiæ Primæ Regimen, abiisse, excessisseque CELSISSIMUM S. R. I. PRINCIPEM FRANCISCUM e Comitibus BARKOCZY

DE

DE SZALA, ARCHI - EPISCOPUM
STRIGONIENSEM, PRIMATEM, & in Hun-
garia Apostolicæ Romanæ Sedis Legatum
Natum !

O casum, eventumque prorsus lamentabi-
lem, nec uno tantum vulnere nostro acerbum,
neque dolore duntaxat nostro, sed vita ipsa
redimendum ! o calamitatem rebus nostris,
præsertim sacris, spebusque adeo ipsis plane
funestam ! o jacturam **PRINCIPIS MAGNI**, atque **OPTIMI**, non huic solum, sed
venturæ etiam ætati veris, effusisque lacrimis
querendam, atque haud scio, an facile, vel
tam cito, reparandam ! Quis jam locus capiet
justissimos questus nostros ? quod illis mo-
dum, nedum finem tempus adferet ? quæ la-
crimarum nostrarum incitatum illum cursum
causa aut tardabit, aut intersistet, **PRINCI-**
PEM suum requirentium, suspirantiumque,
Divino, Regioque munere nuper admodum no-
bis concessum, neque donatum tantopere,
quam designatum verius, ostensumque, atque
tantillo tempore, tamque exiguo ab exordio
mitis, clementisque in Ecclesia sua impe-
rii intervallo, ut neque ubique, neque apud
omnes defervescere adhuc potuerit incredibilis

ille gratulationis, atque lætitiae æstus, quo
Illum ad Celsissimum istud honoris fastigium
votis primum, deinde gaudiis totius Hunga-
riæ sublatum, summorum Præfulum, Majoris
dignitatis Sacerdotum, ac Cleri Universi de-
sideriis vocatum, studiisque expetitum, Au-
gustissimæ demum post homines natos Prin-
cipis, REGINÆQUE APOSTOLICÆ
immortali Beneficio, ac Dono proiectum,
læti accepimus, Legationibus ex omni Pro-
vincia, ac Civitate Hungarica ad Eum missis,
Viennæ, Agriæ, Strigonii, Tyrnaviæ, Pofo-
niique salutavimus, percoluimus, atque tam
ingentibus per ampli Regni, & Regionum
brachiis sublatum, tot sacris Ordinis Ecclesia-
stici manibus exaltatum, tam potenti Princi-
pum Nostrorum maximorum fulcro innixum
in folio ARCHI-EPISCOPI primi
collocavimus, ut illi, meritisque ejus de Ec-
clesia Sancta Dei præstantissimis, laudis, thu-
ris, gratiæ, ac memoris animi officiis, vel
perpetuo si liceret, vel quam proferri homi-
nis ævum potest longissime, litaremus.

Verum adhibenda est dolori vehementissi-
mo, altissimeque infixo consolatio, ac leva-
men, quando ei in tam subita exultationis no-

stræ

stræ in Summam ægritudinem conversione neque mensura statui potest, neque meta; Christianaque fortitudine, & præclara excelsi animi firmitate, accipienda, atque perferenda plaga profundissima, a sempiterna illa causa nobis inficta, cuius lege immobili rerum humarum, mortaliumque omnium Ordo sapientissime, sanctissimeque feritur, atque in æterna illa supremi, uniusque verissime boni Numinis constitutione, quam mœsti cernimus, pallentesque veremur, acquiescendum: seu nempe nos id commeriti sumus, ut quem vel immortalem nasci, vel perpetuum nobis obtingere, quam diutissime quidem conservari in columem optavimus, quam minimo tempore **PRINCIPEM**, Prælatumque habemus; seu dignissimus ille jam Deo visus est esse, qui a possessione, fruitionque beatitatis hujus vitæ, nec puræ, sed innumeris curis, calamitatibusque implicatae, neque perfectæ, sed nova identidem cupiditate devinctæ, atque insuper olim interituræ, ad completam illam, supernamque, ac semper duraturam felicitatem transferretur; seu etiam Providentia hæc Summi cœli, terræque arbitri, jam ante seculorum principium præfinivit in hujus item Magni **PRINCIPIS** improviso, illætabili-

B

que

que exitu, novissimum illis, qui ei superstites fuerint, exemplum commonistrare, signumque extollere, in quo & Potestatem Majestatis suæ, & exilitatem, brevitatemque mortalis conditionis clarissime repræsentaret, atque si utramvis animo nostro aliquo excidere tempore passi essenuis, in memoriam nobis redigeret, confirmaretque.

Abducendi deinde sunt vultus, atque ora hæc mœsta tantisper a contemplandis tristibus exuviiis; atque a sepulchri hujus, quod ante nos positum est, lugubri magnificentia, ac Religione, præterque vulgarem, ac communem modum inveniendi in funestissimo luctu remedium ab eo ipso invictum animi robur repetendum, qui consecrata sancta Unctione ossa, corporisque sui morbo immiti, varioque exhausti, ac confecti reliquias, sed haud ita pridem Excelso, Augustoque spiritu Rectore, & hospite dignas, terræ mandandas, nostrisque heu manibus efferendas, tumuloque componendas, dicamne constantia majore, an præcellentiore in Deum vitæ, necisque Authorem Pietate & reliquit, & imperavit, præterquam quod non omnia sibi mors spolia ex eo detraxit, neque ita nobis illum invidit, ut præter immor,

immortalem Nominis memoriam , nec nisi cum
fine temporum terminandam , non superent
orbi Hungarico , atque Ecclesiæ præclara mo-
numenta , in quibus viva etiamnum extat , re-
lucetque Imago Magni cujusdam Ecclesiæ
PRINCIPIS , dimidio vitæ seculo , præ-
stantibus rebus gestis , clarissimisque operibus
susceptis , atque perfectis , ab eo vivente , sic
tanquam coloribus singularibus , delectisque ,
adumbrata , conformata , & expressa .

Hanc ego , **PROCERES MAXIMI** ,
ORDINESQUE CLARISSIMI , si imita-
tione consequi , & in conspectum Vestrum edu-
cere mihi hodie sumam , temere , audacterque
faciam , nisi Vestro quam miti & Beneficio , tam
gravi , nec unquam humeris meis , minime autem
jam fatiscentibus ferendo imperio , provinciam
hujusmodi quoquo modo in me reclinatam , obe-
dienter admittam , rufusque imperite , atque
inconsulte faciam , si dictationem meam non tam
eloquentia , quam lacrimis ubertim mananti-
bus fluentem , vocesque ipsas singultibus in-
terruptas , iisdem vestigiis dirigam , quibus fa-
eti sunt ductus , cunctaque lineamenta Exem-
plaris perfectissimi , quod Unus Ille , quem elu-
gemus , novit effingere , nemo unus sine ad-

miratione conspicere , ac ne admirari quidem possimus plerique omnes. Itaque neque pectorum illorum , sculptorumve tabulæ consectandæ mihi erunt, quæ integrum Principum virorum effigiem exhibent, absolutamque partibus omnibus , tametsi nonnullis imminutis , longius retrusis aliis ; sed illorum potius , qui membris minoribus aut prætermissis , aut etiam inductis , faciem duntaxat , frontemque , magnæ Mentis sedem, atque ornamentum , ante conspectum sistunt , ac ne hanc ipsam quidem uno in loco , vel eodem positu , sed diverso , varioque , ut dispersa veluti pulchritudo , atque magnitudo illorum , quos artificio suo illuminant , facilius se se , citiusque intuentium oculis insinuet , atque infundat.

Quare veniam mihi hanc , gratiamque , a Benignitate Vestra polliceor , ut consumi , exhaustrique Orationem universam in ea una forma **PRINCIPIIS FRANCISCI** efformanda patiamini , quæ apta sit ingerere Posterorum memoriæ simulacrum quoddam Magni in Ecclesia Dei Principis , unde illud certe , atque impolitum , neque tamen studio aut assentatione corruptum , et si non unam hanc Ille vultus sui speciem , ad eos-

eosdem jam pridem transmiserit, sed præterea
Nobilissimam illam Magni in Augusto Aulæ
Regiæ Sacrario, Imperioque Romano PURPU-
RATI, Magni PATRIÆ PATRIS, splen-
didi; ac vetusti in Hungaria MAGNATIS,
Magni in Provincia Hevessiensi, atque Strigo-
niensi COMITIS, Magni in Excelsa Curia
Septem-Virum JUDICIS, Magni in Senatu
Regio ARBITRI, Summi, & Secretarii Re-
gni CANCELLARII.

Sed quando ego distinctas has, penitusque
discretas unius PRINCIPIS imagines, sic
tanquam partes ejusdem corporis minores con-
templor, libenterque aliorum otio, & prædi-
cationi trado expingendas, jamque totus in
vultu, fronteque Ejus hæreo, hoc est, in eo,
quem in Ecclesia gessit, Principatu defixus,
avocari me hinc sentio in triplex quoddam
Dei Templum, quod manibus FRANCIS-
CUS Noster suis, vel sustulit a fundamentis,
vel instauravit, vel exornavit. Ut omnibus
his locis, me monstrante, conspectus plena, at-
que integra magnitudine sua cernatur.

Primum videlicet est Templum Dei, quod
extruitur, ut in eo sacra jam maximis, &

C occul-

occultissimis, jam publicis, solemnibusque Cerimoniis rite fiant, sempiternoque Numini persolvantur. Alterum est Templum Dei, quod non struitur, sed ædificatur tamen, ut in eo congregetur populus Deo gratus, acceptusque, formaque sanctioris Regiminis constituantur. Tertium est Templum Dei, quod neque struitur, neque exædificatur, sed tantum excolitur, ut in eo, tanquam natura spiritu, Divinus incolat spiritus, sedemque figat Beneficiorum e Cœlo ad nos transfigurorum.

In primo ergo **FRANCISCI PRINCIPIS**, atque ut jam semel usurpare incipiam, quod sæpe deinceps mihi faciendum erit, BARKOCZIANO Templo effulgebit quædam Majestas, dignitasque Sacerdotis Augusti: in secundo resplendescet fervor, & vigilancia Ducis, Mitra, Pedoque pro Sceptro ornati: in tertio emicabit puritas, probitasque Antistitis Religiosissimi; in omnibus vero simul Magnitudo **PRINCIPIS** Ecclesiæ, hoc est: MAGNIFICENTIA IN CULTU DEI, SAPIENTIA IN IMPERIO SACRO, SANCTITAS IN SUSCEPTO VITÆ INSTITUTO.

Triplex hujusmodi Templum proprius accef-
surum me ut Benevolentia Vestra præcedatis
lugubribus verbis a vobis exposco, **ORDI-**
NES SANCTISSIMI, ILLUSTRISSIMIQUE!
atque ut in eorum uno DECUS, ET DIGNITATEM
DOMUS DEI a **FRANCISCO PRI-**
MATE impendio, curaque inchoatam, re-
paratam, firmatam: in alio **ORDINEM**
DOMUS DEI Sapientia, & Potestate Ejus
constitutum, servatum, constabiliatum: in po-
stremo **SANCTITATEM** DOMUS DEI de
Cœlo acceptam, severitate, & disciplina au-
ctam, Pientissimo denique ex mortali hac vi-
ta exitu, atque si non omnibus nobis dece-
sisset Ille, non Ipsi soli, sed cunctis nobis
exoptabili consummatam, quantum lacrimis
potestis imperare, vos ipsi perlustretis, ut ad
eum modum, & dicentis squallor, atque incul-
tus habitus, ubi ab ejus auditione digressi fue-
ritis, ex conspectu item Vestro recedat, &
si aliquando interpellati ad cursum sermonis
reverteritis, parva mora, & quasi momento
fletem me, gementemque sustineatis.

Quæ Fana, Delubraque Deorum fusæ per
Egentes superstitione appellavit, eadem
Christianæ Religione consecrata Ecclesiæ usi-

tato vocabulo dicimus , ac Templa , Domos-
que Dei , in quibus munia sacra obeunt in-
primis Sacerdotes non nati ad id officii , sed
facti , qui que antea etiam , quam lucem hanc
aspexerint , ab æterno Numine delecti , desi-
gnatique , decursu ætatis ad functiones san-
ctissimas erudiuntur , ducuntur , facerrimisque
Religionibus initiantur , atque iniciati gradus
Sacerdotii altiores semper , & digniores certis
annorum , meritorumque spatiis condescendunt.
Quare in illius quoque Templi aditu , quod
primum se mihi offert e tribus BARKOCZIA-
NIS , atque in quo Augustus Ille Sacerdos ocu-
los Vestros in se advertere debet potissimum ,
porta mihi , velum vobis objici posset quod-
dam , nisi prius Metropolitæ Hujus universum
vitæ cursum Sacro , & Civili Magistratu , di-
verso , semperque splendido implicatum , ad-
mirabilibusque quibusdam vicissitudinibus inter-
stinctum ordine quodam , atque certos in an-
nos disiectum strictim , summatimque recen-
sereim , quod eo quidem præstabο libentius , quo
facilius est narrationi , quam ornamentis locum
in oratione invenire , atque ea etiam de cau-
sa , quod in summam quandam brevem missa
ingens maximarum rerum copia , varietas , atque

præ-

præstantia commodius percipiatur, firmiusque
retineatur.

Natus itaque est COMES FRANCIS-
CUS, ad gestandam subinde Principum Tia-
ram Virtute sua eluctatus, PALOCZÆ, avi-
to in Castro ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
BARKOCZIORUM DE SZALA anno
labentis Seculi X. idibus Octobris. Patre
Francisco, Comitatus Ungvariensis Supremo
Comite, a quo præter vitam, sanguinisque cla-
ritatem unus de Fratribus pluribus, natu etiam
prioribus, nomen præterea sumpsit lustrico in
fonte donatum: Matre vero Juliana e Comi-
tibus Zichy de Vásönkő, conjuge lectissima,
quæ decies, atque octies partu pulcherrimæ so-
bolis exoluta, cum reliquam omnem exclusif-
set, filium hunc tamen Matris sinu, lacteque
abstinendum haud putavit, nonnullo, sed cer-
to ferme omne altioribus a causis accepto, fo-
re scilicet aliquando, ut Hic unus, cæteros cun-
ætos Dignitate, rerumque gestarum gloria an-
tegrediatur. Nam ad fœcunditatem, felicita-
temque, eminebat insigni probitate, in quam,
ceu speculum quoddam Virtutis, Universa su-
perior Hungaria intuebatur.

D

Non

Non cunabula, non prætexta ipsa laudis
omnis vacua fuere. Cum ratio actiones, mo-
tionesque corporis regere nondum posset, ad-
esse Illi visa est latens vis quædam, ea puerō
dictans, quæ nonnisi a maturo Consilio pro-
fluxisse sint censenda. Etenim cum triennium
nondum egressum gravis valetudo in lectum
dejecisset, ac prope in tumulum, supraque
remedia vis mali intenderetur, votum a Cla-
rissimis Progenitoribus pro salute Ejus factum
est, quo sacro alicui Instituto complectendo
illigabatur, salva tamen Illi olim deliberandi,
quamvis mox permitta potestate diligendi ve-
stem, qua classēs dicatorum Deo hominum,
velut stemmate quodam, inter se se discernun-
tur; servatus est, spesque cum Eo, ac fortuna
Magnæ Domus. Delegit, ac propemodum in
cunis eam de pluribus propositis induit, quam
deinceps toto Pueritiæ, Adolescentiæ, Juven-
tutis, Virilisque ætatis curriculo nunquam po-
suit, nunquam commutavit cum alia, atque
in sepulchrum suum jamjam deferet. A te-
neris pie expetita unguiculis, placita nimirum,
rataque & illi semper, & Deo fuit.

Lumen perspicacissimi Ingenii faculis tem-
pestivis promicans septennem ferme ad Aca-
de-

demiam Cassoviensem invitavit, atque traduxit, in qua Grammaticæ elementis, Politioribusque Literis ita exultus est, ut deinceps facilitate, copia, elegantia Latini tum sermonis, tum scriptionis præpolleret, ad explicandum, ut res, locus, tempusque poscerent, animi sui sententiam incredibili quadam gravitate, suavitate, perspicuitate, & quando e re visum est, & Pietate, & Severitate. Subinde Aristotelem, cuius tum magnum, ac ferme unius in omnibus Europæ Gymnasiis, nomen celebrabatur, triennio exhaust Tyrnaviæ: Universaque Doctrinæ capita ea exquisiti, ac prope Divini Ingenii, solertiæque singularis commendatione in Aula publica propugnat, ut Augusta CAROLI Sexti, Romanorum Imperatoris, Regisque Hungariæ beneficentia præmium etiam retulerit, Aureum Torquem, Abbatis ornamentum.

Sanctoribus Disciplinis operam datus, ad fontem ipsum omnis Ecclesiastici Juris, & eruditionis, ad Sedem, Arcemque illam Religionis, ad culmen Apostolicæ Dignitatis, Romanam accessit: providentissimo sane consilio ductus, nonnullo tamen hortatu, preceque sibi admota Moderatorum suorum præterea in-

citatus, qui amplæ Ejus, capacissimæque Men-
ti angustum arbitrati quodcunque his in oris
Lycæum ad vastissimum, illustrissimumque illud
scientiarum omnium Emporium aditum Ei
vel commonstrarunt, vel etiam paraverunt.
Arripuit avide oblatam commoditatem, peti-
tionemque exaudiuit, pro eo, ac illos semper
observabat, diligebatque, ac in summo etiam
illo Principatu, ad quem Eum Virtus evexit,
fovebat, atque amabat, tres admodum, qui-
bus Dignitas tanti **PRÆSULIS** vitam eo
usque produxit, ut & viventis gratia perfrui
perpetim possent, & mortuo mœstissimis una
mecum lacrimis parentare.

Quadriennio integro non tam Diversorium,
quam Domicilium Ei fuit Urbs illa, cui Orbis
totius Sacrum Imperium, & Magisterium Ec-
clesiasticæ Disciplinæ divinitus est concredi-
tum: Urbs doctissima, eruditissimisque ho-
minibus, studiisque liberalissimis semper afflu-
ens: Urbs florentissima, & descriptione ædifi-
ciorum vel una omnium pulcherrima, vel nulli
secunda: Urbs Sanctissima, & omni Templo-
rum, Altarium, Ceremoniarum Sacrarum cul-
tu ornatissima: Urbs omnium Nationum con-
fluxu, & clarissimarum ex omni Catholica Di-
tione

tione Legationum frequentata: ut mirum nemini esse debeat, Illum quam s̄epissime animo ad eam respexisse, postquam etiam ex illa excessit; quando autem exiit, primarum jam Palmerum Theologus, & Legum Sacrarum scientissimus, omnem secum copiam, & instrumentum Doctrinæ extulisse, omnem ædium ornatum, Templorum & Decus, & Religionem, omnem Nationum elegantiam, omnem Aulicarum Artium peritiam, ut ornamenta peregrina Patriæ inferret, nativoque in solo collocaret, quibus ipsis scilicet felicitati, utilitati, ac splendori Ecclesiæ, maxime Hungaricæ, aliquando prospecturus esset.

Reliquum tempus ævi BARKOCZIANI arcansimis ex rationibus brevi intervallo definitum, vel cursus quidam celerrimus, vel etiam saltus fuit, quo Illum seu fortuna, & gratia, seu sapientia, atque Virtus (nam juxta omnia incedebant) per omnes Civiles, maximeque Illustres Præfecturas, perque Gradus Dignatum Sacrarum circumferebant, dum in vertice denique, atque jugo, ascensu sibi Uni duntat neque arduo, neque diffcili, sed merito maximo, brevissimoque tempore complanato, repento constitit.

E

Ergo

Ergo ex Urbe redix annos nondum quatuor supra viginti emensus, cum volveretur seculi decimi octavi quartus, & trigesimus, ab Episcopo Originis, sempiternæ, ac gloriosissimæ memoriæ Præfule Agriensis, GABRIELE ANTONIO e Comitibus ERDÓDY DE MONYOROKERÉK, munus Ei Curionis Sacri mandatum est, & Parœcia Agriensis, pauloque post subsellium in Ecclesia Cathedrali assignatum, non paucorum quidem aliorum, sed præsertim Antistitis optimi prædagitione, extrinsecus ex fronte FRANCISCI injecta, ac fortasse Divinitus inclusa futurum videlicet esse, ut post decesum suum non alium Civitas illa Dominum, Ecclesia Episcopum sortiatur, quam COMITEM BARKOCZIUM, prima etiamtum Juventute florentem, sed sua institutione, exemploque jam præparatum ad Insulas, & cum Illi, tanquam Filio, Patris amore omnia cuperet, etiam maiores illis, in quibus ipse consenuisset.

Annus inierat M. DCC. XL. cum comodatus est Metropolitanæ Dioceesi Strigoniensi, ut in illa quoque Tyrocinium poneret Sacri Regiminis, e cuius olim Throno sublimi Legem Sacerdotibus, jussa populo esset descri-

scripturus, quali autem, quantaque Honoris accessione? Eodem nempe tempore Præpositus est Insigni Canonicorum Collegio ad S. Martini in Scepusio. Eodem partem magnam Diœcesis & ordinandis Officiis sacris, & exercendis Judiciis Vicaria Potestate pro Maximo Illo, & Immortalium meritorum Pontifice, EMERICO e Comitibus EszTERHÁZY DE GALANTHA natus administrandam. Eodem non axioma solum, sed Gradum, Munusque Episcopi Consecrati consecutus. Eodem, vel certe prope eodem in sanctiorem Aulæ Regiæ Senatum adscriptus, EXCELLENTISSIMUSQUE renuntiatus. Rursum prope eodem Septem-Virum Tribunal, quo nullum litibus terminandis sanctius, efficaciusque MARIANUM hoc Regnum habet, adjunctus Judex.

Evolutis tribus annis, cum jam præcipitaret M. DCC. XLIV. sexto idus Decembres, Agriensis Præful proclamatus, ad accipiendas claves, & Jura Ecclesiæ illius, & amplæ, & copicæ anno insequente splendidissimo pompa apparatus ingressus est, eaque in Cathedra sacra quietem aliquam, tempusque producius vel tulit, vel impetravit, arbitrorque omnino Divino factum esse nutu, & summa

felicitate sacræ illius Dicecensis, ut annos in ea
Regiminis **FRANCISCUS** Noster nu-
meraverit undeviginti.

Fuit autem Illi Ipsi ea Sedes carissima, ne-
que longius abesse ab ea sustinuit, nisi Comi-
tiorum Regni causa currente anno jam supra se-
culi dimidium primo, in quibus cum esset
Principe delectus loco, ut dici solet, *Commis-
farius*, ad componendas cum Republica Polo-
na, de finibus, limitibusque duorum Nobilis-
simorum, & Amicorum Regnorum contro-
versias, graves illas, atque diuturnas, Sce-
pusiensem rursum terram subiit, annisque
quinto, ac sexto supra quinquagesimum litem
variis causis comperendinatam maximo nostræ
Regionis commodo, nulla alterius injuria, ne-
que usitata diligentia, neque, nisi Illi, pro-
pria felicitate, summo præterea consilio dire-
mit; maximis & domi ob rem perfectam lau-
dibus celebratus, & foris, Cracoviæ præser-
tim, ac Varsaviæ passim honoribus, muneri-
busque percultus, partim præconiis commen-
datus.

Viennam præter ordinem accitus anno se-
culi sexagesimo, nunquam spectatæ antea ce-
lebri-

lebratā pridie Nonas Octobres interfuit, qua
Augustam Romanorum Imperatorum in Re-
giam deducta est frequentissimo, longeque
fulgentissimo apparatu triumphalium, aurato-
rumque curruum, equorum, Equitumque Nobis-
lissimorum, universa Urbe armata, Ordinibus-
que distributa suis, Serenissimi Archi-Ducis,
Regiarumque Coronarum Principis, Hæredis,
hodie Augusti Romanorum Regis JOSE-
PHI secundi, prior sponsa, Magna ISABELLA,
Infans Hispaniarum, atque Dux
Parmensis, semper in fastis nostris, animisque
victura! interfuit autem pars pompæ Ipse nec
minima, neque vulgaris, imo partis cuiusdam
præcipuus Fautor, Adjutorque.

Hunc elabentem annum exceptit seculi pri-
mus post sexagesimum, caput futurus anno-
rum Pontificatus Strigoniensis a tertio die Idus
Maji, quo incredibili Regni, & Ecclesiæ
Hungaricæ gaudio, Clementia Augusta M A-
R I Æ T H E R E S I Æ delata est FRAN-
CISCO Nostro Infula Strigoniensis, atque
haud multo post etiam a C L E M E N T E
XIII. Pontifice Romano confirmata, ut ad
ejus possessionem capiendam jam quinto Ca-
lendas Octobris, consueta quidem, sed præ-

ter morem , modumque exaucta , exultaque
comitantium caterva deduci potuerit ad Tyr-
naviensem D. Nicolai ædem Sacram , Eccle-
siæ Strigonienfis vices a seculis duobus , atque
ultra fungentem , assestantibus ad innumeram
Ecclesiastici Ordinis , ac Dignitatis multitudi-
nem duobus Metropolitæ Strigonienfis Suffra-
ganeis Antistitibus : Excellentissimo nempe ,
Illustrissimo , ac Reverendissimo Comite , &
Præfule Nitriensi EMERICO ESZTERHAZIO
DE GALANTHA , itemque Excellentissimo ,
Illustrissimo , ac Reverendissimo Episcopo tum
Vaciensi , hodie Agriensi , e Comitibus Per-
petuis in FRAKNO , & de GALANTHA CAROLO
itidem ESZTERHAZIO : cum paucos
ante dies sumptum de *Confessione S. Petri* sa-
crum Pallium , atque ab Urbe transmissum Stri-
gonii in Templo Bakaciano , parvo illo quidem
mole , sed paretusto , marmoreo , ac ferme
uno priscorum Hungarorum Pietatis , & Ma-
gnificentiae monumento , præbente Celsissimo
S. R. I. Principe , Archi-Episcopo Viennensi ,
jam S. R. E. Cardinale Eminentissimo , Ad-
ministratoreque Episcopii Vaciensis , CHRISTOPHORO
e Comitibus MIGGAZIS acce-
ptum , collo , humerisque suis imposuisset ,
Sacramentumque e præscripta forma dixisset ,

exau-

exaudiente Excellentissimo , Illustrissimo , ac
Reverendissimo FRANCISCO e Comitibus
ZICHI DE VASONKÓ, Antistite Jaurinensi ,
atque etiam supremam *Comitatus* Strigonien-
sis Præfecturam suscepisset, introducente Re-
gia Authoritate Excellentissimo , atque Illu-
strissimo LUDOVICO Comite de BATTHYÁN ,
& STRATHMAN Regni Hungariæ Palatino ,
Aurei Velleris Equite , nuncque etiam Insignis
Ordinis S. Stephani , Regis Hungariæ , Pri-
mo e Proceribus Aulicis Equite Magnæ
Crucis.

Sed neque gratulatio illa communis , ne-
que splendor iste singularis sacræ Inauguratio-
nis moram injicere debet narrationi ad finem
properanti , & postquam ultimum, supremum-
que mandatum F R A N C I S C O Decus
commemoraverit , Aureum videlicet Monile ,
omni copia , & elegantia refertum , Primo Illi
ex omni Antistitum numero traditum , quo
Insignis Ordinis S. Stephani ab Apostolica Re-
gina , Augustissima Imperatrice , Regnorum
suorum , Provinciarumque Principe , atque
adeo Matre Clementissima conditi Prælatus
constitutus est , atque Eques Magnæ Crucis ,
non tam defessæ , quam desinenti.

Verum quam vastus, patensque hie se mihi ad Nobilissimam Vestram Concionem rediunti Gloriæ BARKOCZIANÆ campus explicat, nec aliis, nec angustioribus profecto terminis, quam Apostolici Regni finibus conclusus? Quæ se offerunt Theatra, & qua specie, formæque præstantia visenda, in quibus aliquando FRANCISCUS Noster non unam, ac ferme Principis Actoris Personam tenuit, tuitusque est quam egregie, tam magnifice? At vel hæc ipsa mihi vi quadam, & impulsu vehementi ad Templa contendenti aut prætermittenda sunt penitus inobservata, aut vix, ac ne vix quidem reducto sifario inspi-cienda!

Prætergreduar itaque, quantum emoliri gressum potuero, Amplissimam ædem I. Comitatus Hevessiensis, miro artificio, & elegantia Agriæ positam, jubente, promoventeque Supremo, ac Perpetuo Comite FRANCISCO, in qua Ille Regionis ejus felicitatem, ac tranquillitatem, sed in primis Regis sui, ac Principis emolumentum novissimo præsertim, ac periculosissimo bello Borussico, & Militibus scribendis, & commeatibus promovendis, & nervo conflando inusitata quadam industria,

con-

conventuum frequentia, consilio, & adhortatione, exemplo suo, Collegique totius Sacri curabat, administrabatque.

Præteribo accelerato gradu Areopagum Hungariæ, Excelsum Septem-Virum Curiam, quam Ille quantum luce sapientiæ, Magnæ Mentis, Memoriæque suæ, scientia Sacri, & Patrii Juris, sententiæ claritate, gravitateque illustrabat, tantum Justitiæ ardore, Fortitudo animi, atque Constantia, objectu adeo corporis, totiusque Authoritatis suæ ad defendendam præcipue Ecclesiæ Dei, Virorumque sacrorum causam, Æquitatem, atque Dignitatem adjuvabat, exstimulabatque, prætensoque etiam Pallio suo efficiebat, ne in iudiciis quidquam præter æquitatem valeret, neve abduceret animos a fide, & æquabilitate, sed omnes societatem humanæ coniunctionis mirifice tuerentur, Judex videlicet Ipse Integerimus, & Custos Judiciorum, & Vindex Legum Sanctissimarum.

Silentio etiam prætervehar Excelsum Consilium Regium, quod *Locumtenentiale* apud nos audit, ad quod FRANCISCO Nostro aditum aperuit & Domicilium Archi-

G

Epi-

Episcoporum Strigoniensium Posonii, Metro-
politana ex multo tempore Hungariæ Urbe
jam pridem constitutum, & gratia AUGU-
STÆ. Hinc quieti Hungariæ prospicitur, salu-
tique Civium: quæ res ambæ, cum variis,
fato Regni istius semper miserando, atque
utinam aliquando commutando, studiis Par-
tium diverse de Religione opinantium, aut
sistantur, aut suscitato turbine involvantur,
non dicam, quantum ANTISTITIS Hujus Præ-
stantissimi ope, atque conatu suffultæ sint,
atque sustentatæ; id solum, quod a nemine
ignorari arbitror, transcursu referam: PRIN-
CIPE Nostro in Senatu hoc, quamvis ne-
que diu, neque sæpe confidente, res gestas,
perfectasque esse maximas, nullo sectarum a
Catholica communione abruptarum lucro, aut
compendio, non minima autem ad Romana
Sacra facta accessione, extincta hæresi qua-
dam, atque errore nocentissimo hominum
Baptismi ritus sacros, Sacramentique efficaci-
tatem, vimque iteratione sacrilega corrumpen-
tium, penitusque profligata.

Intactam omnino relinquam, neque con-
trestatam integrum quandam rerum Hungari-
carum Universitatem, quæ seculo isto, me-
dia

dia sui parte BARKOCZIANO, vel accidere,
vel emersere; singulares tamen omnes, omnes-
que commendandæ, & in quibus magnam Ille
portionem Laudis, vel etiam totam, sum-
mam non raro abstulit, præripuitque, quæ,
quia infinitæ propemodum sunt, & a propo-
sito Ejus alienæ videntur, jure quodam illas
silentio transfiliet Oratio mea, cum præsertim,
pleræque testimonio famæ publicæ prædicen-
tur, cæteræ autem in multorum conscientiam,
qui hic præsentes adsunt, certis documentis
pervenerint, recentique adhuc, & vegeta me-
moria teneantur.

In Templo denique primo BARKOCZIANO
sumus, patefacto quacunque via, &
felicitate accessu, AA. ORNATISSIMI. Hujus de-
cus, ut ego quidem existimo, omne cultu
ædis ipsius, Altariumque, & Instrumenti sa-
cri, frequentia deinde Officiorum Divinorum,
Majestate postremo Religionum sanctissima-
rum absolvitur. Hæc qui perfecerit, vel in-
choaverit, qui reparaverit, qui firmaverit uni-
versa, Sacerdos mihi vere Augustus erit,
eminebitque excellentissime illius Magnificen-
tia in cultu Dei.

Hæc vero non de alio quovis , quam de
FRANCISCO ANTISTITE dicta nunc
a me esse existimate. Quis enim tanta Sacer-
dotum , & Infularum frequentia , quis tam
copiosa Assistentium Ministrorum , ex omni-
bus , quæ loco aliquo invenirentur , sacrorum
Virorum Familiis , & Domibus collectorum ,
tamque ordinata turba , quis majore sancto-
rum vasorum splendore , atque universæ sacræ
supelleætilis , pretiosorumque indumentorum
apparatu , facum , & funeralium lumine , ac
copia , aut sanctissimum novæ Christianæ Le-
gis sacrificium Vero , Immortalique Deo in
Ara obtulit , patravitque , quam **FRAN-**
CISCUS Noster solitus erat & sacris ope-
rari , & sanctioris Palæstræ oleo Populum ex-
petentem ad ineundum Animorum certamen
ungere , aut ipsum oleum variis usibus confice-
re , & consecrare , aut ministeriorum sacro-
rum Candidatos inaugurate , aut quælibet alia
Mysteria Religionis nostræ Augustissima elar-
giri , impertirique , aut Divini Officii pensum
certas in horas distributum canendo , psallen-
doque exolvere , aut supplicationes ad po-
scendam Superum pacem deducere , aut Ho-
noris , Laudisque tributum sempiterno Numi-
ni pro Victoria repræsentare , aut Augustissi-
mum

mum Divini Panis ferculum per vicos , foraque
Urbium circumferre , aut Imagines gratia mi-
rorum operum , ac fama claras novas , dignio-
resque in ædes deportare , aut rem denique
quamlibet Divinam splendide facere , ipsasque
adeo funeris Exequias celebrare ? Non ego
hæc ex arcanis Tabulariis repetam , sed ex
conscientia , notitiaque communi , testesque
appellabo Civitates clarissimas Agriam , Tyr-
naviam , Posonium , Strigonium , Coloczam ,
Nitriam , oppidaque illustria Sastinum , atque
Karolinum.

Superi Boni , quam Augusta se nobis ubi-
que objicit species & Religionis , & ampli-
tudinis ! Quid primum , quid supremum in
ea contempler , atque prædicem , vix apud
mē definiam ; sed quamvis nulla lege ista di-
sponam , adferam tamen capita præcipua , ex-
cellentissimaque . Meminimus namque sanctif-
simis illis diebus , quibus acerbissimos Dei-
Hominis cruciatus Ecclesia Catholica recolit ,
Ceremoniis paulo prolixioribus , & crebriori-
bus , Magnum Sacerdotem Iustum vel maxime
pectora , adstantium fervore quodam , atque
ardore sancto imbuisse , Romæ , Italiæque
Antistitum habitu non solum indutum , verum

a Principe Orbis terrarum Ecclesia omnis pulchritudinis imitatione ne minimum quidem abundantem , rejectaque Pontificalia sella Aurea , ligneaque substituta , nescio , a quo accepto , sed illustri exemplo usum Agriæ æque , ac Tyrnaviæ . Vidimus hoc vestimento , atque Animi demissione ante aras jam consistentem , jam sedentem , jam toto corpore procumbentem , dum sacræ Lamentationes , coacto Musicorum agmine , sonos mollissimis in cantu flexionibus variante , & Psalmi Divini Vatis Ipso præcinente , toto autem Sacerdotum , & Ministrorum Collegio repetente ad exitum perducerentur , ea quidem Religiosa , ac suavi modulatione , quam Hungaria Provinciis exterris non amplius invideret , exemplis , formisque inde expeditis jam erudita . Scimus & illud solemne Ipsi fuisse , ut ad Mysterium sanctissimum , Panis , & Vini specie externa absconditum , per hos ipsos tamen dies , more septentrionalis in sepulchris ad id constructis decenter repositum , atque , ut cultus ei adhibetur , patente loco collocatum , eodem , quo in Templo stipabatur , comitatu , aut præeunte , aut lateri hærente , adorandum se conferret , omniaque Civitatis Templa obiret , silentio quidem maximo , sed validissimo ad

in-

inflammmandam spectatoris omnis pietatem incitamento.

Recordamur præterea ingressus illius, vel Triumphi potius, Agriæ annis singulis, Posonii semel, ac iterum, atque anno præsertim M. DCC. LXIV. repetiti, quem ex hoc ipso Honori, ac Memoriæ B. Martini dedicato Templo inchoatum tota Urbe, forisque omnibus perduxit, spectantibus non tantum, sed incredibili adversus Divinum Epulum, manibus ANTISTITIS Summi circulatum, Religione prosequentibus universis Regni Primoribus, atque Provinciarum Legatis, Comitiorum causa huc collectis. O quæ tum lætitia omnium extitit de Altissimo Mysterio recte, quis dolor, atque admiratio perperam sentientium? quis concursus, & undatio Populi ex omnibus Urbi circumpositis vicis, villisque adfisis; atque municipiis? quæ diligentia in consignando Insularum numero, Sacerdotumque, suo ornatu incedentium, censu ineundo? Quis cultus Pontificum? Quis splendor Procerum? Nimirum versus, ordinesque isti præcedentis insigni Religione totius Regni, ovantis Ecclesiæ Catholicæ speciem intuentibus sistebant, quo nobiliorem neque Civitas hæc clarissima,

ac ne Hungaria quidem ipsa antea viderit unquam, nisi prisca illa, quæ si parem aliquando conspexit, hanc ipsam tamen, a BARKOCZIO exhibitam, superiorem fateatur, necesse est; propterea, quod dissentientem, contrariamque sibi defleat magna ex parte ho- diernam.

Nondum etiam oblii sumus diei illius in sacris Hungariæ Ephemeridibus præcipui, quo Magnæ Dominæ Nostræ Regnum hoc omne a sanctissimo Primo Rege Stephano sempiterna Religione est obligatum, qui cum festus ageretur anno M. DCC. LXII. Votum vel certe Pietas, ab Augustissimis Principibus, Regiaque stirpe omni, ex Urbe in Castrum Saftiniense egressa, solemní de integro contestatione instaurata est, atque simulacrum Sanctissimæ Virginis Dei Genitricis, in ædicula viliter contabulata eatenus inclusum, FRANCISCI, Pontificis manibus exemptum, humeris Sacerdotum impositum, confertissimo agmine stipante in amplissimam, cultissimamque Basilicam sacram, Monasterio Religiosorum Virorum ex S. Pauli Primi Eremitæ sacra Familia adjunctam, illorumque præstanti pietate, studioque eximie ornatam, illatum,

nova , marmoreaque in Ara , monumento
Augustæ Austriacæ Munificentia ad seram
ætatem , memoriamque perstituro , collocatum ,
magnificentissimoque ritu translatum fuit , sa-
cra omnia ordinante , curanteque Pontifice
Hungariæ Primo . O quis hic iterum vel Au-
gustorum Nostrorum , principatum sibi in ex-
ercendis Religionibus , & concinendis Dei ,
Divinæque Matris laudibus depositum fer-
vor ! Quam ardens desiderium **F R A N-**
C I S C I Præfulis , vultu ipso , actuque omni
proditum , ad agenda solemniter in Templo
Divina Officia , cantuque exequenda jam tum
Hungariam omnem invitantis ! Quis sacrorum
Præconum delectus , atque dignitas ! Quæ
multitudinis toto ex Regno , vicinis etiam
Austriæ , & Moraviæ finibus propemodum in-
finitæ , concursus , gaudium , lætæ voces , &
clamores ! nimurum Templo universo , Odeis
omnibus , Porticibusque , foris oppidi , atque
compitis omnibus , agrisque adeo ipsis , nil
nisi sacrum carmen , & Laudes Incontaminatae
Dei Parentis resonuere .

In memoria multorum adhuc versatur lugu-
bris quidem , mœstaque , sed apparatissima
pompa , qua Karolini primum , **F R A N C I S C O**

I loci

loci Dynastæ , Toga , Sagoque Clarissimo
Viro, Coloczæ deinde FRANCISCO XAVE-
RIO KLOBUSICZKIO, gestis, gerendisque
Infulis plurimis pari , semperque digno , de-
mum Nitriæ EMERICO ESZTERHAZIO
Grandi & natu, & meritis Præfuli : Immorta-
lis memoriæ Magnatibus , Comitibus , Anti-
stibus justa persoluta sunt a FRANCI-
SCO vel Agriensi adhuc , vel jam Strigo-
niensi Præfule ? sed illis neque istud elapsum
esse arbitror , supremos hos Honores Patriæ
Patribus ab Illo habitos ita esse , ut luctui qui-
dem nihil demeret , quin lacrimas etiam suas
non raro adderet , & tamen Dignitatem Ceri-
moniarum Sacrorum vel in funestis his funētio-
nibus tueretur , & facer ritus cum profana illa,
splendidaque adhuc hodie apud Hungaros se-
pulturæ Magnificentia certaret.

Et quam præterea rem Divinam facientem,
operantemque unquam , aut uspiam ANTI-
STITEM Hunc vidimus , ubi non se primam
ostentaret incredibilis Ejus Religio , perpetua
cum sempiterna Mente Mentis Illius conjun-
ctio , præclarum quoddam studium ad Lau-
des Divinas exigendas toto nisu , & impetu
ferri visum, opinio de sanctissimis Sacrificiis,
offi-

officiisque Divinis longe maxima , sensusque
tenebris? Quibus ille rebus ductus , exci-
tatusque non sumptus , non impensas compar-
cendas sibi existimavit , constatque satis hunc
in usum ex ærario Illius , non canalis tenuitate ,
sed alvei capacitate nonnunquam fuisse deriva-
tas ; ut supelle~~et~~ilem videlicet sacram omnem
reficeret , servaret , augeret , munditieⁱ Dom-
orum Dei splendorem etiam adjiceret , non
vasa , non instrumenta deesse pateretur , quæ
omni nitore fulgerent , arte , & pretio com-
mendantur . Quæ omnia hic a me recensi-
ta , longe autem plura prætermissa , si parva
atque exilia , nec ab Oratore prædicanda cui-
quam fortasse videbuntur , tantum abest , ut
ego ei assentiar , ut etiam percontari ex eo
velim , quid ille his rebus ad conciliandum sa-
cris functionibus Romano ritu distributis Di-
gnitatem , vel ubi eam deperdiderint , restau-
randam censeat a Sacerdote vel Augustissimo
excogitari , conferique posse aptius , majus-
que ? nisi forsitan id ei veniat in mentem ,
quod cuivis est obvium : parum scilicet con-
sultum esse Ministeriis sacris , eorumque splen-
dori , nisi ei nova accrescat a frequentia , dili-
gentiaque Ministrorum commendatio , firmi-
tasque .

Amplector libenter , atque accedo. Verum quo alio Pontifice Hungariæ , qui ante **FRANCISCUM BARKOCZIUM** extiterit , frequentia Ministrorum in Templis major apparuit , vel solertia in Divinis obeundis muneribus præstabilior ? Quæ consuetudo pia ab eo retenta non est ? vel quæ est abolita , nisi ea , quæ gravissimo Ejus Judicio emendanda inque perfectiorem modum , aut rationem commutanda videretur ? Quæ firmitas , securitasque ab Eo vel quæsita , vel exspectata est , quam Ille non illoco legibus , præceptis , exemplisque suis proctravat ? num fervorem Gloriæ Divinæ amplificandæ desiderari a se passus est ? num vigilantiam in partes sacerdotum Officiorum cunctas exorrectam ? num Menti Consilium , aut Animo Ejus robur defuit ad instituendam rem quampiam , quam invehi in mores suos plurimi percuperent ? an constantia ad perficiendam , quam longe ante confectam fuisse omnes optavissent ?

Ingredior in Argumentum AA. OO. sane copiosum , laudisque plenissimum , atque haud scio , an hoc in genere præstantissimum , quod adferri queat , atque etiam debeat ad extollendum Decus Domus Dei ex illa diligentia

Viro-

Virorum, Altaris obsequio se se liberalissime
devoventium, atque assiduitate desumptum.
Cujus instituti causa Eum Maximi Ecclesiæ,
& Reipublicæ Principes, communisque Hun-
gariæ, factum approbantis, plausus vel verbis
honestissimis cumularunt, vel datis ad Eum li-
teris exornarunt. In cuius moliminis comme-
moratione video nihil plane necesse esse, se-
cretum illud, sanctiusque Tabularium appella-
re, aut contingere ad efferendam institutio-
nem illam novam, nec tam novam, quam
nova quadam forma imbutam, quam in Me-
tropolitanam suam Ecclesiam anno Pontifica-
tus primo, seculi defluentis secundo supra sex-
agesimum reduxit, aut introduxit: biennio
deinde post, in *Collegiatam* Posoniensem pro-
pagavit, cum jam anno præcedente perlato
Decreto constituisse, ut in *Collegiatam* item
Scepusiensem quamprimum immigraret, atque
ex illo plane tempore, quo Ecclesiæ Agriensi
præerat, in Cathedram illam tum suam inveh-
ere constituerat, nisi Ecclesiæ in Hungaria Princi-
pis expectanda sibi exempla putavisset.

Nihil, inquam, necesse est hæc a me comme-
morari, exolutumque me plane puto seu la-
bore, seu onere commendandi rem longo

K

tem-

tempore insolitam , atque tamen ad Dei Gloriā, decusque Templorum maxime conductem , quando & illi Laudibus celebrandæ non ista lugubris par potest contingere oratio, & æquissimum præterea videri queat , consilii tam Magni , tamque Pii rationes omnes ex scriptis , verbisque Ejus , Animique sensibus explicare potius . quam Artis , aut adulacionis pigmentis exornare. O quoties ! AA. OO. PONTIFEX Hic Magnus, cum viveret, dicere auditus est, exaratisque sanctionibus testari: sibi quidem , Disciplinam Sacerdotum ad primorum seculorum normam exigenti , atque ad primævam Sacerdotiorum constitutionem resipienti , non aliud quidquam tanta solicitudine curandum censeri , quam ut sanctum , & terribile Nomen Domini communi compreceptione , atque cantu in Domo Dei celebretur ! o quoties tacitus secum , palamque etiam repetebat: Existimare se omnino , atque plane ea in sententia esse , exercitationem Virorum , quibus sacra subsellia in Templis , aut odeis assignata essent , nullam se reperire muneri isti innexam , quæ illos a curis profanis , atque mundi strepitu longius queat abducere , atque illam frequenter , prolixè , & pie psallen di consuetudinem ! o quoties addebat , ita

eas

eos demum ex præscripto Conciliorum sacro-
rum, quorum Canones cunctos, novissimique
præsertim Sacro-Sancti Concilii Tridentini, cu-
jus capita omnia non in numerato solum, sed
plane in usu quotidiano habebat, vitam con-
formaturos, si perpetuata illa Divinas Laudes
concinendi diligentia effecissent, ut Mens eo-
rum cœlo semper affixa, quam rarissime ad ea
diverteret, quæ sunt illo inferiora! o quoties
vastrationes Regno MARIANO ab hostibus illa-
tas, calamitatesque vel permislas a Deo, vel
ab illo ipso infictas propulsatum iri sperabat,
atque etiam prædicebat, ea tamen lege, si
cantus Ecclesiastici Majestas, ac Religio Tem-
plis restitueretur, aut in quibus nunquam fuif-
set, inferretur. Hæc Ille cogitabat, medita-
batur, dicebat, hisque altissimis rationibus su-
perstruebat Constitutiones, Decretaque sua,
Religiosasque leges, quales semper scribebat.

Et quis neget, ivisse ab Ejus Metropoli-
tana Ecclesia illico in exemplum aliarum plu-
rium per Hungariam Ecclesiarum Instituta Ejus
sanctissima, quæ aut Sacerdotiis opulentiori-
bus abundant, aut quibus Religiosi Viri ipso
vitæ proposito, fineque Officiis istis addicti
servirent? Quis hæc inficiari audeat, quæ

oculis ipsis cerni possunt, pene manibus contrectari? quis non animadvertis in recitandis Religiosa moderatione precationibus ex Ecclesiæ Romanæ forma præscriptis passim novam, emendatam, severioremque inductam Disciplinam, seu brevitate correcta, seu voce magis ad leges canendi exacta, seu frequentia aucta, seu consuetudine noviter cœpta, conservataque? Quis non speret (sperabant quidem non pauci, si Sacerdoti Huic penso precum persolvendo maxime Augusto vita diutius constitisset) futurum esse, ut eam lætabilem prorsus, gratamque tempiterno Numinis formam Hungaria rursus induat, qua olim Provinciis aliis longe antecellebat, cum scilicet tertia pars Civium, quando duæ aliæ, vel castra sequebantur, vallumque se, ac propugnaculum pro Domo sua vicinis hostibus objiciebant, vel civilibus, domesticisque Artibus distentæ, necessitatibus humanæ Vitæ prospiciebant, tertia, inquam, pars Hungarorum, vel hac etiam major, in Laudibus Divinis nocte, dieque modulandis utilissime, religiosissimeque occupabatur.

Sed me jam a Dignitate Ceremoniarum Sacrarum reparata, frequentia Sacrarum functionum

num constabilita ad se contemplandam avocat
ingens quædam, excelsoque animo digna Tem-
pli Augustissimi de integro construendi, at-
que pretio omni, & arte excolendi molitio,
Menti FRANCISCI PONTIFICIS, cum
viveret, semper infixa, postquam vero dece-
sit Ipse, eaque adhuc supersit, altius etiam im-
pressa, commendataque! quod etsi Ille ad cul-
men perducere non potuit tempore brevissimi
Imperii sui exclusus, ac morte subinde impro-
visa, præmaturaque impeditus, atque vix
etiam inchoare, tamen ego in vita Ejus omni
nihil invenio præstantius, splendidiusque, quo
possit Nomen **F R A N C I S C I** illustrari,
sempernæque memoriæ oratione mea com-
mendari.

Proh Deum Immortalem! quam ardens in-
usitatumque in ipso aditu Strigoniensis Sedis
in animo Ejus exarsit desiderium redeundi,
eluotandique in montem illum sanctum, reve-
hendique secum omnem Metropolitanæ Eccle-
siæ Majestatem ad præcelsa illa Religionis
Christianæ in Hungaria cunabula, quæ eadem
fuere & Stephani Regis Sanctissimi, & na-
scientis in Regno isto castissimæ Religionis?
quanta celeritate, alacritateque flagrantissimis

L

his

his Magni PRÆSULIS studiis velificatus est Ordo omnis Sacrae Jurisdictionis STRIGONIENSIS? quæ continuo statuta placuere? quæ rationes initæ? quanta usurpata solertia? quam arctum præfinitum spatium ad transferendam Sanctissimam Coloniam in eminens illud, vetereque Hungarorum pietate consecratum Jugum, ut in illo Templum sempiterno, Immortalique Deo, Arxque Munitissima Catholici Dogmatis, atque Romanæ communionis constituatur?

Quid jam persequar gaudium Regni Apostolici Universi, pervagatamque tota Hungaria lætitiam, dum ea vox late manavit: Annū M. DCC. LXVI. fore faustum illum, atque aureum, quo priscam in sedem Originis suæ postliminii jure repetitam, Augustaque beneficentia recuperatam se se referet, recipietque Metropolitanum Collegium Amplissimum Sacerdotum? cuius tum literæ Provinciæ, atque ut passim dici solet, Comitatus Hungarici requisitæ sunt a PRINCIPE FRANCISCO, quibus gaudium suum incredibile, & ad tam sancti, sapientisque Consilii exequendi difficultates removendas, promovendasque operas consentientem, præclar-

ramque voluntatem declararent, partem sumptuum, impensasque offerrent? Extant quidem hodie quam plurimorum, ac ferme omnium Magistratum hujus rei testes epistolæ, conservabunturque semper ad Nominis BARKOCZIANI decus, famamque seris etiam Posteris nunciandam.

Num præterea sine scelere aliquo, eoque longe maximo prætermitti a me potest MARIAE THERESIAE Augustæ, Piæ, atque Invictæ Judicium, præconiis PRINCIPI Nostro tributis patefactum, & largitio prorsus Cæsarea, Regiaque, quæ cum APOSTOLICÆ REGINÆ derivatum a Magnis Avis, Patribusque Romanorum Imperatoribus, Hungariæque Regibus Nomen, Jus, atque decus iniisset, atque a Clemente XIII. Pontifice Romano confirmatum resumpsisset, non distulit Apostolicam hujusmodi potestatem & exercere, & quod Sacro præsertim Principati semper est conjunctum arctissime, eminentem, manifestamque beneficentiam suam prodere munere quodam singulari. Quis jam hic vero laudibus in Cœlum feret aut Regii Animi magnitudinem illam, qua FRANCISCO BARKOCZIO, secuturisque

Pontificibus Strigoniensibus Arcem; Castrumque liberalissime restituit, amplissime contulit, donavitque? Quis Regiae Pietatis, Clementiæque pignus maximum, certissimumque, Iconem Sacra in Tabula coloribus expressam, qua autem manu? qua cariorem sibi vix AUGUSTA aliam habuit, ars nulla augustiorem deposcere potuit? Manu, inquam, Serenissimæ Nurus suæ ISABELLÆ expressam, atque eo artificio exornatam, ut quantum Author operis cæteris, tantum opus ipsum operibus reliquis antecelleret, eoque jam a principio cœptum Consilio, protinusque traditum, ut in Templi novi Strigoniensis solemnni Dedicatione, quam celebrem reddere Augustorum Pietas constituerat, conveniente ad recipiendos Honores loco exponeretur.

Ergo ex illo tempore, hoc est, ab Anno M. DCC. LXI. AA. OO. (nam sæpe mihi a cursu Orationis redeundum est ad brevitatem, perspicuitatemque narrationis) manum FRANCISCUS Augusto ædificio Ipse admove: brachia autem Universi Regni invitare, atque colligere: adminicula, machinasque, quibus materia omnis, & cœmentum in montem educi, attrahique possit, erigere, figereque:

ad

ad facilem , tutumque rerum omnium præstandum commeatum Danubium latius se diffundentem ponte jungere, non fixo illo quidem, sed qui navis littore uno in aliud evolantis speciem cum referat, nomen etiam sortitus est suum. Deducto Militari præsidio cum Præfecto suo , illico faxa , rupesque edomari , dirui tresses , mœniaque , valles collibus æquari, atque hi dehiscere , illæ surgere , verbo : solum , atque area non describi solum , & designari, neque æquari tantum , insternique , sed ædificiis etiam repleri, quæ vel ære Sacerdotum primi subsellii , vel etiam suo sustulit ; sustulit autem suo , non certe alieno (quod si unquam habuit necessitate , arcanisque causis contractum , incredibili industria , & felicitate primo quovis tempore extinxit) quodque suum plane dicere posset: Ut jam spes neque vana neque dubia suscitata sit apud Hungaros , fore brevi , si non brevissime , ut Templum Augustum in Monte Strigoniensi conspiciat , quod si non Orbis , Patriæ saltem miraculis accenseat , in cuius nempe ædificationem censem admodum millia Nummum Florenum Rhenanorum quotannis ad numeranda profusa prorsus , inusitataque largitate **BARKOCZIA**

M

NA

NA Munificentia & constituit , & jam adnumerare cœpit.

Non ego hic iterum recensebo aut multitudinem , aut diligentiam , aut alacritatem , aut etiam felicitatem operarum , curruumque refertam copiam , latumiarum , fabriliumque officinarum fervorem , jucundum sane spectaculum intuentibus , semperque cum laude Magni **PRINCIPIS** conjunctum , a cuius latere nefas profecto foret longius me abjungi nunquam expiandum. Accidit scilicet aliquando , ut inter egerendam , eruendamque humum nonnulla perantiqua monumenta detegrentur , Templaque integra , atque ædicolæ sacræ situ , fordibusque obsitæ , atque ruinis copertæ , neque tamen expertes Artis , neque ejus præsertim pretii , quod illis vetustas consifcit , numismata ad hæc veterum variæ magnitudinis , modulique , & Metalli Aurea etiam , atque Argentea , quibus neque ad deprehendendam , constituendamque Strigoniū certo Coloniam Romanam , neque ad illustrandam Hungariæ , necdum Christianæ , Historiam quidquam potuit inveniri accommodatius , aliaque longe plurima ibi reperirentur , quæ perpetuo delitescere merito dolendum fuisset ,

ex-

extracta autem in lucem permagni sunt facienda. O quod tum PRINCIPIS FRANCISCI MENTEM , pectusque ipsum , quam frequens , præsertim cum Ipse aderat (nam fortuna unum denique Illum comitari visa est) gaudium , lætitia , nonnunquam etiam admiratio replevit. Neque tamen ita distraxit , ut non hæc omnia ad Pietatem , Religionemque referret. *En Tibi , inquietabat , & me ipso*
audiente ajebat, En Tibi , Magne Deus , The-
sauros omnes mibi donatos , atque etiam Divino
Munere Tuo donandos jam nunc offero , redhibeo-
que ! Gratias tibi ago Immortales , quas possum ,
quibus tamen ubiores Tibi reddet omnis ætas in
Templo Sancto Tuo Strigonensi , cuius Funda-
menta , Te Authore Consilii , voluntatisque , Te
etiam Largitore sumptum a me ponuntur ! In eo
Ego Tibi , sed non nisi nutu , gratiaque Tua , San-
ctam , Eucharisticamque Hostiam sacrificabo , &
bis Gemmis , Lapidibusque pretiosis (Nummos
autem Aureos Theodosii , Valentinianique Cæ-
sarum manu tenebat) insignem Calicem libabo !

O Vocem , AA. OO. Sacerdote vere Au-
gusto dignam ! o Magnum , Generosumque
Pontificis Animum ! o Consilium humano ma-
jus , ac prope Divinum ! sed finite AA. OO.

ut quando illud explicandum jam est , atque
suis originibus evolvendum , ad lugubre hoc
funeris spectaculum vos tantisper revocem ,
orationemque referam , quod nobis morien-
tem adhuc FRANCISCUM PONTIFI-
C E M , neque plane emortuum exhibit ! cu-
jus enim sunt voces illæ , quas exaudire mihi
videor ? cuius singultus ? cuius suspiria ? supe-
ri Boni ! quam Pia ! quam Sancta ! quam omnia
inflammata ! *Majus meritum* (certa fide habeo
PRÆSULEM Ipsum loqui) *si quod un-*
quam cum Gratia Dei feci , me non reputo babe-
re , quam sinceram voluntatem ædificandi Deo meo
Metropolitanam Ecclesiam Strigoniensem , Clerum-
que meum ad locum Nativitatis suæ reducendi.
O demissionem Animi AA. moestissimi , sin-
gularem ! o mentis puritatem , atque rectitu-
dinem eximiam , admirabilemque ! Eo tende-
bant omnes mei conatus , eo curæ , & sollicitudi-
nes totius reliquæ vitæ meæ . O altum , subli-
memque PRINCIPEM , atque difficulta-
tibus omnibus , ac solum illis non medentem ,
atque imperantem , quas tempus objicit . Nunc
video ! exclamat hausto ex intimo pectore , sed
jam emoriente gemitu : Nunc video ! justo Dei
Judicio me indignum esse , qui perficiam hoc
opus Nomini Sancto suo ! Adorat videlicet in-

acces-

accessum, quo fatum hominum cuditur, Dei Consilium: *Fiat Sancta Ejus voluntas!* acquiescit in ea, neque tamen adhuc modum dolori suo invenit: *Crucem, & afflictionem majorem Animo meo immittere non potuit, quam secundum arcanas Divinæ suæ Providentiae Rationes, privando me potestate exequendi propositum hoc meum!* conqueritur, neque repugnat tamen: *Adoro, inquit, inscrutabile Dei mei Judicium, crucemque hanc de manu ejus prompto animo amplector!* O quis unquam magis conjunctam Deo Mentem, voluntatemque suam tenuit, aut ad eam inflexit? & o novum, insolitum, obstupescendumque sacrificandi Ritum! *Suscipiat, quæso, supplicat vera, germanaque, ut in extremo, gravissimoque illo temporis articulo, inque illis vitæ, necisque confiniis, Pietate, suscipiat, quæso, Deus hoc sacrificium voluntatis meæ, & propitius sit peccatis meis.*

Dies XVI. ante Calendas Majas numerabatur, quo gemitus hos pios PRINCEPS, jam tum callentissimis Artis Medicæ, Experi-entissimisque Viris pro deposito, deplorato-que habitus effundebat, quantis Illustris stirpis suæ lamentis! quanta Domesticæ familiæ comploratione! quanta commiseratione adstan-

N

tium!

tium! & quantis nostris, hæc qui repetimus,
lacrimis! quanto suo dolore primum, crucia-
tuque, sed mox etiam Animi æqualitate, &
constantia.

Verum macte Virtute hac excellenti, &
hac Pietate in Deum Tuum Tua PRIN-
CEPS Magne (credi enim potest Manes,
præsertim pios, ex illa Beatorum jam Virorum
Regione quandoque huc, respicere, verba-
que, & preces nostras exaudire) Macte, in-
quam, hac Animi Tui Celsitate! quæ Te dej-
icit aliquando, ut iterum extollat: Non Te
Bonus ille, Clemensque Deus indignum du-
xit, qui Nominis, cultuique ejus Templum
poneres, atque etiam dedicares: nulla homi-
nis cuiusquam cœde pollutas unquam manus
Tuas fuisse, aut scelere graviore fœdatis vel
vidimus, vel audivimus, ut a Te in alium
Decus istud, Laus ista transferri debuerit.
Aliam ejus rei causam ille Tibi, sed posterius
aperuit, quamque Tu, Tabulis Tuis ultimis
Ipse edidisti. Eja igitur PRINCEPS san-
cte ædificabis Templum Strigoniæ Domino,
Deoque Tuo, ædificabisque firmum illud, so-
lidum, &, si secula perstiterint, æternum;
neque tamen ædificabis, ut Tu designasti,

sed

sed ut ab illa æterna Mente debuit designari.

Quærebas scilicet Lapidem illum maxima solertia, atque cura, quem primum mitteres in fundamenta, sed, si quærebas extra Te, frustra omnino quærebas: Petram solidam, firmamque circumspiciebas, adversum quam nullus quidquam posset hostis, nulla vis, ac ne edacitas temporis quidem. Fuit illa una tantum, quæ reperiri potuit, nec tamen extra Te potuit: hærebat Cordi Tuo, nec ab eo avelli potuit Cor Tuum, illa ipsa Petra fuit, Sedes, vehiculumve Animæ, certe curarum Tuarum omnium! Indulge PRINCEPS Optime, ut Deus hoc ex corpore Tuo eximat, rataisque habeat voluntatem Tuam sinceram extruendi Augustum Deo Templum, flagrantissima desideria Tua expleat, & quando id fieri nequit, nisi egrediatur Mens Tua e Corpore, tanquam Diversorio suo, festina, Magne Spiritus, ad præmia Tibi reposita, Cor Tuum nobis solum relinque, non in monumentum aliquod marmoreum, sed in fundamentum Ecclesiæ Strigoniensis reponendum.

Occupavit AA. OO. preces meas , petitio-
nemque A N T I S T E S Providentissimus , qui
cum idem consilium a Deo sibi inditum exe-
qui omnino constituisset , Testamento suo vel
cavit , vel potius præcepit , ut cum cæteræ
Exuviæ Posonii tumulum naðæ fuissent , Cor
exemptum Strigonii conderetur.

O molitionem operis , atque ædificationem
sane Augustam , neque inchoatam solum , sed
admirabili quodam modo perfectam , consum-
matam ! quam Pulchra ! quam Ampla ! quam
firma stabit moles Basilicæ Sacræ , quæ tanto
Authore cœpta , non tantum in Corde Au-
thoris , quod Eo etiamtum Vivo factum est ;
sed supra Cor Ipsum vere Augusti Sacerdotis
ædificabitur , addamne etiam , supra Ipsum ,
quod Turribus suis in Cœlum alte evehet
BARKOCZIANUM Nomen.

A Sacerdote Augusto digrediamur ad
PRÆSULEM Mitra , Pedoque
armatum , custodiæ concretiti sibi a Deo Gre-
gis magno fervore , & vigilantia intendentem ,
ut Sapientia **PRINCIPIS FRANCI-**
SCI Sacro in Imperio publica quadam in luce
collocetur , quam integris Ecclesiastici Regi-
minis

minis Agriæ Anno M. DCC. XLIV. inchoati
sex lustris, maximis laboribus, curis, itineri-
busque Hungariæ approbavit. Arbitrabatur
autem Doctissimus æque, ac Sapientissimus
PONTIFEX singulare, privatimque proprium,
ac ferme unum Episcopi, Ordinem Domus
Dei, & Reipublicæ Sacræ curantis, munus
esse: Honestatem Ordinis Ecclesiastici, quæ
maxime in moribus castigatissimis sita est, am-
plificare, atque tueri: Cultum deinde libera-
lium quarumvis Artium promovere, restitue-
reque: denique subjectis omnibus præter vitæ,
Doctrinæque Magisterium omnem benevolen-
tiam præmiis, benefactisque impertiri. Et Ho-
nestatem quidem vitæ excellentem a Pastoribus
merito exigebat propterea, quod cæ-
teri plerumque omnes ad eorum exempla mo-
res suos componere solerent: Amorem vero
literarum, librorumque iis commendabat eo
diligentius, quo clarius intuebatur sanctum
regendi Populi Dei officium, scripturarumque
sanctissimarum pabulo alendi, nutriendique
eo scientiarum omnium subsidio, auxilioque
vel unice, vel potissime adjuvari: opulentiam
postremo Sacerdotiorum fontem esse quen-
dam publicum existimabat, qui cum quotidie
hauriatur dividente provide aliquo Administro,

O

aquis

aquis tamen semper, quantum satis esse queat utilitati, ac necessitati communi, aut etiam affatim abundet.

Optarem ego quidem, AA. OO. solertissimum Hunc Ecclesiarum PRINCIPEM, Pastoremque iisdem viis, ac pene vestigiis consequi, quibus Ille festinavit ad perlustrandam Agriensem Dioecesim, quo itinere bienium ita absumptum est, ut nulla fere Parœcia relicta fuerit, quam oculis Ille suis non obivisset; certe nulla, quæ expers curæ ejus, aut etiam Beneficii fuisset. In ea *Visitatione*, ut dici amat, *Canonica* seu Metropolitani *Capituli* Strigoniensis anno Pontificatus secundo, hoc est: M. DCC. LXII. seu *Capituli* Posoniensis in *Collegiata Ecclesia Sancti Martini*, itemque alterius in monte Scepusiensi, memoria item S. Martini, & Basilica Sacro Anno M. DCC. LXIII. suscepta, ac post secula resumpta. Sed quando profectio illa neque temporis, neque adeo moris hujus est, minime autem potestatis meæ, utilitates tantum, fructusque insignes, idque etiam carptim duntaxat, ac delibando legendi mihi sunt, quos Ille ex agro repurgato, Sanctissimaque semente con-

confito in illa horrea Magni cœlestis Patrisfamilias contulit, convexitque.

O quanta se hic mihi offert ubertas, diversitas, excellentia Institutionum Ecclesiasticarum, Pastoralium Epistolarum, Decretorum Pontificalium! Ut luminibus pene copia officiat, & quantavis Eloquentissimi Oratoris facundia mole, & amplitudine non laboret tantum, sed penitus obruatur! Quam multa hoc loco mihi vel penitus prætermittenda sunt, vel obiter tantum commemoranda! Quis enim vel Ordinem Judiciorum Sacrorum, Agriæ præfertim, ad veterem Disciplinam restitutum, & Actis rite conficiendis, & rebus deinde omnibus in Acta, quibus *Protocoli* nomen adhæsit, referendis? Quis correctos hominum (neque enim sacra vestis ex eo vel numero, vel conditione quemquam eximit) hominum, inquam, nonnunquam deviantium a proposito suo mores, resectum a Mensis, Indumentisque luxum, vetita, quæ nec observata irrepsissent, otii fovendi Instrumenta, remotum denique id omne ab usu eorum, quod a pulchritudine, sanctitateque Vitæ censeretur alienum? Quis præscriptam victus, ac vestimenti, cum vel in publicum prodeundum erit, vel

Altari serviendum , rationem & decentem semper atque ubique , & sacris Mysteriis convenientissimam , leges de conscribendis cunctis , magnoque studio , & pietate lucubrandis , qui ad Populum Dei haberentur sacris sermonibus , congregandis ex minoribus Jurisdictionibus , ac frequenter celebrandis Curionum Sacrorum coetibus , deprecationibus praesertim publicis , ac solemnibus pie , ordinateque exolvendis ? quis denique sexcenta id genus oratione sua commendet , quibus Honestas istius Ordinis seu dignitate sua emineat , libertatemque quandam modi in vivendo , semper tamen integerime , retineat , seu praeinitum certa regula modum elegerit , inque subsidiaria Ecclesiæ cohorte degat , Honestas , inquam , Universi Ordinis Ecclesiastici , Pulchritudoque continetur .

Oblivisci tamen neque possum , neque debeo amorem illum insignem , inflammatumque , quo FRANCISCUS ferebatur in suum , ut creberrime usurpabat , Clerum Ju niorem , cuius institutio , educatioque ita Animo PRINCIPIS Hujus , Parentisque Optimi vita omni infedit , ut gravissimas inter Sacri , & Civilis Magistratus curas præcipuum illi locum semper & inveniret , & libentissime

me præberet. Quare volebat eos constanter
lateri suo hærere, dispersos in plura, & quan-
doque dissita, unum in Domicilium cogere, Ti-
rocinio vitæ sanctioris ad severiorem Discipli-
nam revocato Militiæ sacræ aptare, legibus a
se præscriptis vivere, sub Ducibus, Magistris.
que ex suæ Cathedralis, aut Metropolitanæ
Ecclesiæ Collegiis, gravissimo Judicio, ut vi-
rum a viro legere unus Ille ferme, certe opti-
me noverat, designatis, præfectisque, fovere
in illis igniculos Pietatis, & studium Artium
honestissimum propositis præmiis, & admotis
incitamentis: sæpiissime eos literis Pastoralibus,
edictis ad omnem morum elegantiam, & san-
ctitatem exhortari, non raro ad eos invisen-
dos accedere, seque Ipsum illis impertiri, ad-
esse nonnunquam, quin creberrime, cum spe-
cimen quodpiam, experimentumque facerent,
vel ederent Doctrinæ, diligentiaque suæ, at-
que hæc omnia magna alacritate, & gaudio
suo incredibili agere, perficereque universa. O
charitatem Patris in Filios mirandam, obstu-
pescendamque! o desiderium prorsus singulare
educandi Ministros Ecclesiæ, quos eidem pe-
perisset Sacramentis, & Initiationibus, desi-
derium, inquam, efformandi quam simillimos
sibi. Quod ut consequeretur, tam arcte sibi

P

suo-

fiorumque Administrorum pectoribus florentissimam illam ex Sacrorum Rituum Candidatis compositam Juventutem colligavit, ut cum Ipse quidem his domesticis, familiaribusque suis, frequentissime certe cum Eo versantibus apta documenta, exemplaque præbuerit, suppeditaret illis, quæ ex Ipso transumpta cum subditis deinde Alumnis communicarent.

Infinitus sim, extraque limites mihi constitutos egrediar, si minutatim singula exequar. Dicam igitur brevissime, sed dicam una vero quam proxime: Ex omnibus FRANCISCI BARKOCZY promulgatis statutis, prolati sanctionibus, encyclicis literis seu ad collegia, seu ad privatos subditos missis, & numero & pondere maximo, quorum quidem extra eas, quæ typis sunt excusæ, quam paucissimas videre mihi contigit, cum aliquæ, quæ pro Curionibus Metropolitanæ Ecclesiæ Strigonensis parabantur, non intra incudem, & prælum, sed tamen intra sanctius chartophylacium adhæserint; semper tamen visum mihi fuisse, posse extrahi non parvum mole, sed pretio longe majorem librum, conficie, qui commentationes, in omnes obscuriores Divinarum scripturarum sententias, præsertim ex no-

væ legis tabulis excerptas complexus , utilitatem adferat minime vulgarem Interpretibus , explanatoribusque Sacri Codicis , qui ab Authore summo lucem nondum na>ctus publicam , Nomen tamen tanti **PRINCIPIS** fronte gerere queat , atque effigiem . Dicam quiddam amplius , sed & verius : Frustra ab eruditissimis hujus ætatis Theologis summam quandam Sacrorum Conciliorum , notasque præsertim , atque enodationes difficiliorum Sacri Concilii Tridentini locorum vel conquiri , vel conscribi , cum monumenta hoc argumento nobis a Magno **PRINCIPE** relicta , illa ipsa sint , quæ summæ hujusmodi rationem habent , atque ad perfectam quandam synodorum cunctarum notitiam , peritiamque navos , studiososque lectors quæstu temporis immodo , parique compendio Doctrinæ Ecclesiasticæ perducat . Dicam denique jam universe , sed longe verissime : elucere in transmis- sis a **PRINCIPE** Summo in omnem æta- tem scriptis ingenii maximi , judicii gravissimi , doctrinæ insigniter singularis , pietatisque Excellentissimæ **ANTISTITEM** , qui & Ipse or- bis totius Senatui Sacro interesse , in eoque Ecclesiæ universæ Concilio cum dignitate atque laude dicere sententiam , atque ad ean-

dem dicendam plures sibi adjungere posset,
atque tamen Provincialium , Dicecesanorum-
que Conciliorum , quibus cogendis et si non
desit necessitas , utilitasque magna , tamen
plerumque abest opportunitas , Sacrorum, in-
quam , horum conventum , vicem , locumque
FRANCISCUM vel unum semper ex-
plevisse, nullo detrimento, sed insigni emolu-
mento Ecclesiæ Hungaricæ.

Verum AA. OO. non his libris , atque con-
stitutionibus condebatur , claudebaturque fru-
ctus ille multiplex , cuius messe copiosa , re-
ferta , ac plane lætabili dives **FRANCIS-
CUS ANTISTES** revertit ex campo suo
Agriensi , Strigoniensique toties , quoties ad
eum pervestigandum , extirpandum , excolen-
dumque excesserat . Ad primum de adventu
ejus nuntium fit fuga vulpecularum vafrarum ,
luporum voracium , animantiumque ferarum ,
quæ agrum Ejus depascebantur , oves in pa-
scuis deprædabantur ; fit strages , & cædes
pertinaciter obluctantium , qua affliguntur qui-
dem , præsternunturque , sed ut surgant , ut
mansuetant , mutataque veluti lana , ac villo ,
& ipsæ ovibus Pastoris ejus aggregentur , qui
de cœlo delapsus sparsas , deperditasque colle-
git.

git. Nonne agmen, & turba quædam fuit,
quam Szobotistii, Levardini, & Oppido S.
Joannis, alibique, Christo Duci, & Roma-
næ Ecclesiæ adjunxit, labore quidem diviso
in plures alios, sed qui omnes Ejus præcipue
authoritate, consilio, ardoreque plane excel-
lenti niterentur? Nonne animum jam adjecerat
fecurim radici, & truncō ipsi applicare, ex quo
tam varium, verum infelix, atque noxiū ger-
men, surculique succreverunt? Nonne pere-
grinas stirpes corruptissimis fructibus graves,
quæ in Misnia, Gallia, atque apud Helvetios
pullularunt, atque ad nos usque proserperunt,
amputandas, succidendasque decrevit, flagran-
tissimaque cupiditate incubuit, ut si pestem
hanc ab infectis ovibus depellere non posset,
medicinam malo lente extinguendo pararet,
ac propinaret? Nonne eo potissimum fine tot
Ejus nutu, & adhortatione volumina patrio
sermone conscripta sunt, aut in illum ex aliis
translata, quibus quantum sincera, antiqua-
que dogmata explicabantur, tantum spuria,
novitiaeque refellebantur, quæque subinde sum-
ptibus Pastoris Primi excusa, dispersa, libe-
ralissimeque in populum sunt distributa, lacu-
nis in ærario ANTISTITIS, hiatibusque permagnis
quandoque patefactis, lucro tamen præstanti,

Q

si

si oves illæ Pastoris revocantis vocem audire
non detrectassent.

Terror ergo venientem ubique præit, quo-
cunque se conferat ad errores profligandos:
nutant, vaccillantque pulpita Præconum, scri-
pturas quidem Divinas magnis clamoribus con-
crepantium, sed quando ab antiquæ Traditio-
nis norma recedunt arbitratu quodam, ut di-
cam hoc mitissime, temerario expositas. Con-
tremiscunt profanata, perversisque dogmatibus
inquinata Templa, solum æs campanum plenis-
que locis Pastorem Catholicum salutat, &,
tanquam si oculis, atque mente præditum es-
set, agnoscit. Quædam etiam turres cervi-
ces suas inclinarunt, cum Szantoviæ, tum alibi,
clavesque EPISCOPO adventanti, vel Lega-
tos pro se mittenti de integro restituerunt,
olim inquis Hungariæ temporibus ereptas.

At par vitiis, sceleribus, moribusque cor-
ruptis exitium impendebat. Fit, spargitur
que incendium agro omni, quem spinæ hor-
rentes occupabant. Exhuriuntur sentinæ, in
quibus se scelus, nefasque volutabat. Altis-
sime radicibus vellitur, quidquid labis, macu-
læ, aut pravi moris nomen, ac fœditatem

ha-

habet, exterminaturque. Ex adverso cultura
adhibetur terræ , gremio mollitæ , novo, le-
ttoque semine conserendæ , cuius vis ad gi-
gnendam Virtutem plurimum valeat. Implan-
tantur ubique arbores , quæ pomis sanis , at-
que integris toti ævo profint. Leges saluber-
rimæ feruntur, ad juvandam recte credentium
hominum pietatem adminicula præbentur libris
iterum novis excusis, divisisque, quibus ma-
xime alitur, servaturque genus, & nomen omne
Christianum. Nonne post ejus excessum ex
Parœcia aliqua, ubi effuso gaudio ovium sua-
rum excipiebatur , nec sine suis , earumque
lacrimis sæpiissime dimittebatur, apparuere sta-
tim infestationes , & plantæ novellæ? cultum fo-
lum ex vacuo, solaque inopia vasto? nonne
fertilis vinea crebris malleolis, propaginibusque
coaluit ex solitudine ab operarum manu eate-
nus deserta? Nonne silvæ neglecta, atque
nullis arborum versibus, nulla putatione ramo-
rum exuberantium compositæ in nemoris, hor-
tique etiam formam, atque elegantiam com-
migrarunt? Nonne fodalitiis, piisque cœtibus
devincta comprecantium in Templis pietas, de-
finiti dies supplicationibus sacris , & præscri-
ptum horarum quadraginta pensum? Nonne
præceptis adstricta est, excitataque diligentia

hominum sacras dictiones negligentium, attentio, atque assiduitas, atque eos in primis, quæ ad erudiendam primis Christianæ doctrinæ elementis plebem rudem, atque incultam necessariæ essent? Nonne accitæ operæ viorum ad expeditiones Sacras se offerentium, aut libentissime admissæ, quibus nullum gravius vitiis bellum incumbere potest, nec alia ratio iniri commodior ad animos duros emolliendos, atque tum ad pœnitudinem de peccatis suscipiendam revocandos, tum ad Virtutem omnem, atque adeo insignem perducendos? Nonne pia hujusmodi studia **F R A N C I S C I** Præfulis pietate, favore, & largitate præsidium omne acceperunt, libris rursus ad usum istum maxime idoneis præbitis, donatisque, atque illo præsertim, quem Romanum Catechismum mos est appellare, jussu Sancti Concilii Tridentini adornatum.

Librorum autem cum memini crebrius, admoneri me sentio ad faciendam transgressiōnem ad Artes bonas omnes per Pontificem Magnum ad splendorem quemdam, floremque eximum proiectas, quod alterum est caput a vigili Præfule in secundis statim curis reponendum. Difficilis oppido labor est, hæc vel in

com-

commentaria acciso stilo referre , nedum oratione , quam jam subeunt , celebrare ! sed nimurum materiæ quoque istius ubertas , more jam meo , contracto quodam dicendi genere , erit depascenda.

O felix , nimiumque beata HOC ANTISTITE Agria ! quæ ex castro haud admodum pridem vastato ab hostibus immanitate barbaris , cum vix respirare occiperes , formamque Urbis , ac veteris magnificentiæ recolligere , momento veluti facta es earum liberalissimarum Artium , quæ pace præsertim solent efflorescere , Seminarium , & quantum , quamque illustre ! in quod scilicet Magistri , Præceptoresque cooptati sunt ex Ordine in Ecclesia antiquissimo , omniumqne primo , eo sane successu , ut si cœptam bene viam insistat , eruditisque lucubrationibus orbem ditare perget , neque Padua , neque Bononia , neque Sorbona , neque Roma condiscendarum scientiarum causa unquam Hungaris sit adeunda !

O fortunatam literatorum Virorum conditionem , qui se aliquando in aulam FRANCISCI BARKOCZY penetrare potuerunt , & seu in Senatu Sacro , seu in conclavi

R

se-

secreto , scribendis , concinnandisque sacri Imperii rebus gestis destinato , locum aliquem , munusque consequi ! Quid enim aliud utrumque hoc fuisse pronunciem , quam novum quoddam rursus Seminarium , & quorum ! quantorumque Virorum ! Ad laudem quidem **PRINCIPIS** interesse puto , si appellem virorum sapientissime delectorum , atque una sapientum ; ad illorum præterea beatitudinem censeo plurimum conferre , si addam : fuisse Seminarium Antistitum , Episcoporum vel gradibus , vel saltem titulis , Abbatum , Præpositorumque Mitris , Torquibus , maximisque ornamentiis sacris eminentium , quos ex eo nonnunquam , nec tantum singillatim , sed turmatim prodiiisse conspeximus .

O lætam Hungariæ omnis magnis jam passibus ad culmen scientiarum omnium apprehendum Hoc Pontifice proiectam , atque studiorum omnium Protectore Generali ! Quod munus , axiomaque longe honorificentissimum cum meritis Ejus de re literaria præstantissimis peculiari edito , decretoque Regio Eidem mandatum fuisset Anno M. DCC. LXII. aliamque item similem summa authoritate gubernandi Seminaria adolescentum Nobilium educatione-

cationi erecta per sacram Ejus jurisdictionem
Strigonensem, binaque illa præcipue Tyrna-
viæ, quorum uni Convictus Regii, atque
Arch-Episcopalis cognomentum, & olim tri-
butum, & recenter confirmatum, alteri vero
a Sancto Adalberto primo Hungarorum Apo-
stolo nomen impositum, potestate accepisset,
ita AUGUSTÆ PRINCIPIS suæ, cui divinitus feli-
cissima temporum, ac studiorum in terris sibi
subditis reparatio servata est, atque concessa,
imperiis paruit, ut, si conatus Illius tam festi-
nato ad plures abitu sufflaminati non fuissent,
haud scio, an aliis in Provinciis, quam in
Hungaria firmior, præstabiliorque extitisset ea
renovatio, ac redintegratio Gymnasiorum, at-
que Academiarum.

Europam AA. OO. omnem circumspexit
FRANCISCUS PRINCEPS, literis
convenit, consuluitque, non tam quod ege-
ret, quam quod nihil quidquam sperneret;
quin parum dixi, extra Europam etiam egre-
sus est, atque ex omnibus orbis Christiani ce-
leberrimis civitatibus, in quibus esset statio ali-
qua frequentioris, illustriorisque studii litera-
rum, ad se transmitti expetivit, normam ac se-
riem scientiarum pertractandarum, tempus

præterea, atque ordinem, tum librorum nomina, & exempla, Magistrorum denique doctrinam, claritudinemque: Nec Urbes solum in Romanæ Ecclesiæ obedientia etiamnum perstantes, sed ab ea abruptas, literarum nihilo secius laude celebratas appellavit. Venere jam ad Eum rescripta, & copiosa, & humanissima responsa a quam plurimis, excerptis etiam manibus aliquando suis, quidquid adaptandum censuisset, cætera autem describenda delectis Viris permisit: feruebat magnum, & præstantissimum reformandæ doctrinæ, institutionisque opus, designabatur locus, & emporium, ex quo ducerentur in Lycae inferiora præceptiones, tanquam a fonte purissimo rivi salubrium aquarum.

Providentia diligentissimi ANTISTITIS maxima hucusque eluxit, partim reparanda disciplina Ecclesiastica, partim excolenda literatura, seipsum autem exhausit propemodum, dum eam Beneficiæ, & Largitatis sociate cumulavit. Evidem virtutes omnes nexu quodam inter se colligantur, nec pulchritudo una alteri obstruit, etsi se se quandoque excedant, nescio tamen, quo pacto fiat, ut disciplinæ severitas vel utilitatem, vel laudem deperdat,

dat, nisi comitem habeat munificentiam, & contentio studiorum laxetur, nisi præmiis excitetur, præterquam, quod hospitalis, liberalis, ac benefici nomen, in ipsa PRINCIPIIS, multo autem magis Pontificis nomenclatione, ac natura ipsa inclusum esse videatur.

Sinite vero AA. OO. ut hic nulla lege, nulloque ordine, expansis tamen velis cursum promoveat Oratio, ut citius ad littus appellat, in quo portum inveniat novo commeatu parando accommodatum. Locum itaque primum faciam turbæ pauperi, summaque cum egestate confliganti, cuius difficultatibus paterne ut succurrat, exhausit propemodum ærarium **FRANCISCUS BARKOCZIUS** suum, tametsi opulentis redditibus sat refertum, abundansque: verum quis hic dicenti mihi obturbat strepitus, clamore incondito, ac plane miserabili permistus, ac quoties æs campanum mœsta hac Urbe exauditum est, repetitus, flentis Patremque suum, olim **PRINCIPEM** quoque deplorantis multitudinis! ex omni hominum ætate, sexu, classe, conditioneque!

S

Di-

Dicamne adolescentulorum, juvenumque
hos questus esse, nam sonitus quidem ab ea
ætate haud abludit, quos aut erogata grandi
in sumptum pecunia ad mercatum Juris-Pru-
dentiæ Patrio codice contentæ duodecim ad-
modum quotannis Agriæ Episcopus aluit, cum
& ibi, & ubique alibi venientes ad se se di-
scipulos scholæ cuiusvis, opemque exposcen-
tes, non solum inanes a se nunquam dimitte-
ret, sed certam, definitamque stipem, am-
plamque illam cursu quodam perpetuo benefi-
centiæ in eos erogaret. Dicamne Comaro-
mensem integrum Civitatem, ex illis Insulæ
extremis finibus, huc ad lacrimas A R C H I-
E P I S C O P O suo pro justis funebris red-
dendas commigrasse, qui cum horribili, me-
ritoque semper formidando terræ-motu percul-
si, prostrati, ruinisque ædium suarum prope
oppressi Anno M. DCC. LXIII. naufragium
plerique fecissent fortunarum omnium, non
commovere solum mitissimi, benignissimique
P R I N C I P I S animum ad commiserationem
damnis suis, atque ad adhibendam sibi Paſto-
rali, vereque Paterna epistola consolationem,
sed emovere currus, navesque annonarias, co-
ctis panibus, frumentoque repletas, instru-
mento, nervoque ad præsentem depellendam

fa-

famem maxime necessario, impetrataque tule-
re subsidia alia a PRÆSULE non invito,
sed propemodum prodigo.

Dicamne hæc lamenta esse egenorum
omnium, hac qui a Civitate florentissima, co-
piosaque alimenta expectant, & horrea sua
ducunt, manus largientium! sed quis ignorat
hunc fuisse semper splendidissimum ANTISTI-
TIS nostri comitatum, hoc agmen, præsi-
dium Ejus, tutelamque sacri vultus! Dicamne
denique eorum solum gemitus hic me require-
re (quamvis silenter & ipsi collacriment) quos
a corrogatione stipis pudor arcet, splendida-
que foris, sed angusta domi supellex, in ho-
rumque censu domos integras, amplasque Fa-
milias, viduas, orphanosque, tutelæque, aut
curatelæ eo solum haud egentes, quod illis
majores nullum rerum inventarium reliquum fe-
cerint, quod Tutorum, Curatorumque admini-
strationi subjiceretur. Atque hi opinor illi
sunt, qui Munificentiae BARKOCZIANÆ
partem maximam ad se attraxerunt.

Frangebatur persæpe misericordia egentium
verus, optimusque Pater, eorum præcipue,
quos in fortuna miserrima, & luctuosissima

destitutos conspexisset, eoque incubuit, ut eis
in futura quoque tempora a se prospiceretur.
Itaque valetudinaria duo publica Posonii, in
quorum altero ægrotis Viris facer Ordo a Mi-
sericordia cognomen consecutus, in altero in-
firmis mulieribus S. Elisabethæ exemplo, &
imitatione facer Virginum chorus omnem Chri-
stianam opem, remediumque ministrat, annuo
constituto reditu ita amplificavit, ut duobus
utrobique hospitibus cum morbo conficien-
tibus lectus esset, & opportunitas ad confir-
mandam, reparandamque valetudinem suam.

Eluxit profecto in fovendo hoc hominum
genere Patris quædam clementia, pietasque,
qua **PRINCEPS** Magnus hanc familiam
suam, hosque filios, atque filias complecteba-
tur; sed beneficiorum magnitudo clarius se ta-
men prodidit in iis locupletandis, quibus tan-
tum collatum est a vivente facultatis, ut
PRINCIPE jam defuncto, non egeant
opis alienæ, ad vitam reliquam placide, tran-
quille, atque vix ullo labore, atque conten-
tione traducendam, cuius rei testimonium
perhibet non ingens solum famulantum, pe-
dissequorumque numerus, sed reliquorum
etiam domesticorum, & familiarium, quos a
diver-

diversis, amplisque adeo muneribus PRINCIPI adesse & dignitas Ejus sacra, & claritas stemmatis, & illa, quam in Imperio Romano obtinebat, celsitas postulabat. Ita ad mercedem exaggeratam potius, quam accisam præmia addebantur, vel impetrabantur.

Atque hic census quidam iniri facilius fortasse possit clientum BARKOCZIANIS beneficiis auctorum, nam splendori aulæ suæ moderationem aliquam semper adhibebat Principatum etiam asscutus, sed sacrum. Quis autem vel cogitando, nedum recensendo comprehendat multitudinem illorum, qui extra prætorium ipsum positi, in FRANCISCI tamen ANTISTITIS clientela, ac fide, spes, atque fortunas suas reposuerunt? Non Generis claritas, non amplitudo divitiarum, non scientia, præclaraque existimatio, non felicitas, dignitasve quælibet alia vetuere innumera-biles ex utraque Republica Nobilissimos Viros, ne sub umbra sacri Pallii, Infulæque Ejus latere quærerent, ne Patrocinium, Præsidiumque Ejus expeterent: Ut mihi plane videatur, si ea honorum ornamenta, atque quæ istis inhærent emolumenta, quæ efficaci, potentique interventu ab Augusta beneficentia aliis exo-

T

ravit,

ravit, sibi uni retinuissest A N T I S T E S noster,
nullum Tribunal Excelsum, Curiam, Sena-
tumque Regni nullum futurum, in quo BAR-
KOCZIUS plurium loco Jus, sententiam-
que non dicat, futurumque insuper fuisse, ut
Infularum quamplurimarum splendor in emi-
nenti Ejus fronte non mutatis solum vicibus,
sed simul etiam confideat, opesque ex Sacer-
dotiis multiplicatis magnis fluminibus in unum
Ejus ærarium coriventur.

Contraho demum vela liberius fluentia, cum
exitus, nisi vi apertus, haud pateat ex im-
menſa quadam copia rerum, quibus benefi-
centia BARKOCZIANA illustratur; itaque
nihil de sacra jurisdictione Agriensi adferam,
monumentisque a F R A N C I S C O Præſule
in eadem relictis, quæ largitati Ejus semper
debebunt, qui Sedem illam tenuerint: in una
Archidiœceſi Strigoniensi nefas est mihi non
adhærere aliquantum. Hic se mihi vero rur-
fus aperit amplissimus quidam campus, descri-
ptione ædificiorum Nobilissimorum refertus,
quem lustrando fruſtra emetiri coner, cum vel
recensendo cogar esse prolixus! Domus Præ-
positi Scepusiensis habitationibus, cultuque
amplificata, reparations in ædibus Archi-

Epi-

Episcoporum Strigoniensium , vel diversoriis ,
vel Domiciliis , in Oppido Sanctæ Crucis ,
Rosnaviæ , Ujvarini , Tyrnaviæ , Strigonii , ac
Posonii præsertim factæ laxatis ubique conclau-
vibus , aut multiplicatis , aut supellectile co-
piosa , & splendida instructis , domus conden-
do frumento in pomœrio urbis Posoniensis a
fundamentis erecta , cui non alia mole , ca-
pacitate , ac firmitate , hujus quidem usus ,
& commodi par toto Regno reperiri queat :
Alia præterea Budæ magno ære redempta ,
tantum ut securis Præsulibus donaretur : In-
stituta , dotataque liberaliter in pago Héregi-
ensi , & Tardosiensi nova Parœcia , utroque
juribus , & dominio Mitræ Strigoniensis ob-
noxio : relictum exædificandæ Ecclesiæ Ke-
menczinensi testamento Argentum haud mo-
dicum : Quid hæc omnia aliud , nisi immen-
sam quandam **BARKOCZII** largitatem ,
ac beneficentiam prædicant , atque etiam jure
obstupescendam illis , ad quos vel certis au-
thoribus , vel famæ præconiis pervenit notitia rei
prorsus insolitæ , antequæ tempora Istius **PRÆ-**
SULIS nec usitatæ , nec frequentatæ , sed ab Hoc
jam Agriæ inchoatæ : Primum **FRANCISCUM**
ARCHI-EPISCOPUM , atque adeo vere **PRINCI-**
PEM fuisse , qui omnem ubivis Domuum

fiuarum supelle^tilem, instructionemque, quā
Palatinæ ædes fulgere, Basilicæque Optimam
tum magnifice ostentare se se queant, & ab-
undantem, locupletemque, & prorsus sum-
ptuosam, ac quovis pretio æstimandam ulti-
mis tabulis haud aliis, quam iis ipsis donarit,
qui Infulam Strigoniensem, quam vacuam re-
liquisset, Divino, Apostolico, Regioque mu-
nere post se nanciserentur. O Magnum,
vereque Regium animum! O munificentiam
quam singularem, tam pene incredibilem! O
sapientem, providamque Sacerdotiorum opu-
lentorum administrationem, cuius fructum
omnes cepissent, sensissentque ordines, præ-
ter Eum unum, cui vivere non aliud fuit, quam
& bene precari, & benefacere genti suæ, po-
puloque Christiano!

En vigilantem AA. OO. Pastorem in al-
Etero illo Templo a me propositum,
quod **FRANCISCI BARKOCZII**
sapientia, & potestate instauratum, servatum,
constabilitumque tantis Ei curis, laboribus,
impensisque stetit, & in quo Vos pulcherri-
mum quendam ordinem Domus Dei, Sacram-
que Rempublicam saluberrimis, optimisque
legibus, & præsidiis munitam, ab Hoc **PRIN-**
CIPE

CIPE descriptam, a me vero non nisi adumbratam conspexitis, sapientiamque excellenter in Sacro Imperio admirati estis! Tertium jam subeamus, & Sanctimoniam **PRINCIPIS** in suscepto Vitæ Instituto, curiculoque, sed heu nimis quam cito confecto pariter contemblemur.

Sanctitas quædam est, quæ Animo hominis illico, atque hæreditarium malum, peccatiisque congeniti contagio ejus adventu abscessit, Divino Munere inhæret tamdiu, quamdiu novo, capitalique crimine non commaculatur, quamvis rursus recuperetur, si opus suscipiatur ab homine flagitioso Divino admonitu, atque Auxilio, lege scripturarum sanctorum ad id institutum, cuique promissio Divinitus attributa est de sarcendo danno ex perpetratis peccatis gravioribus accepto. Diversa quædam est, quæ Divino & ipsa dono nobis concessa non desides, otiososque nos finit esse, sed in partem perficiendi operis, quod ad salutem nostram sempiternam conduit, laborem, industriamque nostram advocate. Illa in Animo duntaxat resplendet, qui oculis unius sempiterni Numinis pervius est: Ista cernitur & in Animo, & in moribus ex-

U

trin-

trinsecus, magnaue sui portione patet oculis eorum, ac Menti, qui in consuetudinem Vitæ cujusvis intuentur; fitque plane propterea, ut sanctitate prima præditum se se neque ipse homo experimento suo cognoscere queat, neque alium ea instruatum aut vixisse, aut decessisse asserere possit, cum altera excelluisse quempiam, vel contra ejus expertem fuisse, aut etiam contrariam de se opinionem aliis ingessisse facto de moribus Judicio, notitiisque acceptis, quam simillima vero conjectura sequatur.

Sanctimonia deinceps morum non una cuique hominum generi convenit, sed ea in maxima cujuslibet laude habetur, quæ suscepto Vitæ Instituto apprime consentiat, cum & via refecantur, quæ pugnant cum arrepto, & certo Consilio delecto vivendi proposito, maculamque, ac dedecus illi aspergunt: & earum exercitia Virtutum frequentantur, quarum professio ab illo non abhorret, quin pulchritudinem quandam ei conciliat, atque commendationem. Si qua præterea in Eadem Vitæ ratione diversitas reperiatur a gradibus variis repetita, palam est, me etiam non monente, eminere sanctitate Morum illos debere, qui

cæteris præcellunt honore, atque ne genera-
tim tantum hoc exequar, qui de ANTISTI-
TIS sanctimonia agere institui, quantum Infu-
læ, ornamentaque PRÆSULIS superant
potestatem Sacram seu in Sacrificio ipsa, seu
in subditos Juribus Sacris, Sacerdotum inferi-
orum, tantum ab ANTISTITIS integritate,
probitateque excedi debere Virtutem reliquo-
rum Altaris Ministrorum.

Sed quorū hæc tam alte a primis, atque
adeo a fontibus a me arcessuntur? Eo videlicet,
ut intelligatur in Templo illo nos jam versari,
quod prima sanctitate, seu munere quodam
cœlesti a se ipso diverso, seu ipso ingressu suo
consecratum Divinus spiritus Domicilium sibi
delegit, thesaurosque suos secum de cœlo de-
latos depositus, ut operibus naturæ vires exce-
dentibus, ceu arbor fructibus suis se se prode-
rent: altera vero sanctitate replevit FRAN-
CISCUS BARKOCZIUS, iisque
virtutibus præeunte, comitante, atque adju-
vante ipso Numine, nonnulla tamen cura,
solertiaque sua exornavit, quæ PRÆSU-
LEM Ecclesiæ, & quidem Hungaricæ, su-
pra communem laudem probitatis extulerunt.
In Templo denique, quod Morum integerri-

morum castimonia, atque nitore eo resplendet,
quæ ambo claritatem generis in Magno Hoc
PRINCIPE neque obliterarunt, neque
obscurarunt, verum auxerunt: Concordiam-
que præterea quandam eximiam Sacras inter,
Civilesque Præfecturas Infulis in Hungaria sem-
per conjunctas servarunt, non dissolverunt.
Verbo uno: **FRANCICSI BARKO-**
CZII in suscepto Vitæ Instituto Sanctimo-
niam commendarunt.

Nihil igitur in hac Domo Dei reperire se
quisquam posse arbitretur, quod quæsitissimæ
Morum munditiei aduersetur, quando Mores
istos nulla aut invidia, aut maledicentia, nec
quælibet mendax, verave fama arrofit unquam,
aut contaminavit. Siquid humanitus pulveris
aliquando cultui adhæsit, deflexumque est
aut a recto tramite, aut a constanti tenore,
aut a summa, absolutaque Virtutis perfectione,
id accedit quam rarissime primum, atque tum
etiam ita, vix ut observari ab Ipso **FRAN-**
CISCO, notarique ab aliis potuerit: fuit
deinde temporis brevissimi, derasum statim,
detersumque, ut inolere non potuerit. Ita nem-
pe provisum a **PRÆSULE** est lustratio-
nibus Sacris creberrime, & pientissime susce-

ptis,

ptis, ut & admissum deleretur protinus pia-
culis, & ne porro se offerre audeat conspectui
Ejus, quam longissime removeretur, arcere-
turque.

Verum qui nihil harum rerum Hujus in Mo-
ribus **PRINCIPIS** deprehendet, potest-
ne iisdem perferre splendorem Virtutum insi-
gnium, quæ **ANTISTITEM** faciunt, for-
mantque, atque si Nomen istud huc aptari a
Ducibus traductum queat, cæteros inter He-
roëm Maximum. Non repetam hoc loco Ma-
gnificentiam in Cultu Dei, Religionemque,
neque in ea comprehensam arctissimam cum
Deo necessitudinem sacrificandi, precandique
studio conservatam. Non fervorem, vigilan-
tiamque pro salute, & felicitate subditi sibi
Populi a legum Sacrarum Hoc vindice, atque
Authore, a Pastore omnia lustrante, obeun-
teque, a **PRINCIPE** Beneficentissimo cun-
ditis omnium necessitatibus providentissime con-
sulente, in ardua oppido, quamvis excelsa
statione semper expositam. Non hæc, inquam,
de integro referam, sed inclusa in iis ornamen-
ta quædam Sancti Ecclesiæ **PRINCIPIS**
strictim, summatimque perstringam.

Quid Animi demissione illa excellentius unquam visum, quæ FRANCISCUM tanto loco, & stirpe natum ad pedes vilissimi, facinorosique hominis Agriæ aliquando toto corpore prostravit, supplicemque fecit, ut nihil sibi, sed illi rectam mentem a Deo exoraret stupente, admiranteque effusa ad spectaculum universa Civitate in sacri Curionis sui Virtute defixa, atque approbante, ut reor, cœlo, atque jam tum Insulam Agriensem, supraque eam Strigonensem Capiti Ejus impone? Quid Hospitali Animo BARKOCZII majus, celsiusque, qua Domus Ejus ita inclaruit, seu Agriæ, seu Pestini, ut non alia illustriores unquam viderit apparatu quodam Nationi universæ, Illustri stirpi, Ipsique ANTISTITI perhonorifico acceptos, nec laude etiam illa Virtutis destituto, quam Illi Pietas, honestasque finis addere potest vel maximam? Quid PRINCIPE Isto in usu vitae communis moderatius, atque in moderatione ipsa admirabilius, quippe qui cum videret id e Dignitate sua esse, ut laxaret habendas, id fecit perquam literaliter, cum e contra Sacerdotii munus Eum admoneret, ut contraheret impensas, id quoque præstitit rejecta abundantia, solitus aliquando facete dicere:

Di-

Divitem se fuisse Comitem, atque Episcopum, tum pauperem effectum, cum ARCHI-EPISCOPI, atque PRINCIPIS titulos sumpsisset, subdebatque: Nihil se veritum unquam fuisse varia de se judicia hominum, sed Unius Dei, atque si veritus tamen ea fuisset, illos quidem, qui Nomen Suum laetiore censu Agriæ viventis carpere sibi sumpsissent, posse sibi fieri commodiores Strigonii maximum Vectigal in parsimonia reponenti, illos vero, qui Ipsum hic loci nimium attentum ad res suas cernerent, illuc respicere debere, ac utrosque conficere: usum priorem, atque posteriorem certis consilio, prudentiæque rationibus a se adhibitum esse. Quid contemptu fluxarum rerum, ac omnium vitæ humanæ seu commodorum, seu deliciarum in quoquam alio, quam in PRINCIPE nostro prædicari excelsius potuit, qui vitam ipsam munere Divino acceptam, solum ut Deo, aliisque vacaret, tuitus est, atque aliquo in pretio habuit, cætera neque magni fecit, neque abire ex ea unquam pertinuit, aut renuit, quin multo ante tempore, quam morbi nuncium fecuturæ mortis adferrent, ad eam fortiter, alacriterque subeundam se se comparavit, frequentato annuo ferme ab omni mundi stre-

pitu receptu , & digressione ad solitudinem Nazaræam , in qua extructum jussu suo tumulum ingressus non jacere solum , sed jam emori sibi videbatur , non aliis ligneæ tumbæ incisis literis , notisque , quam **FRANCISCI PECCATORIS** ad Posteros transmittendis.

Tulit fructum tam longæ , tamque piæ comparationis multo maximum **PRINCEPS** Religiosissimus , cunctisque omnino nobis expectendum ! Ac quando ad sanctitatem pienissima morte consummatam accedendum jam est AA. OO. Vobis spectandam , mihi celebrandam , par est dolori hic modum adhibere , viresque omnes colligere mentis , atque rationis , ut de universæ vitae integritate , & sanctitudine , ex ea fortitudine , æquabilitate , Pietate , qua Magnus **BARKOCZII** Spiritus vidit , adivitque vitae suæ ultima & tempora , & fata , rite constituatur .

Heu quo mœrore , tristitiaque repleta est omnis Patria ! Quam turbidi lacrimis Regni universi incessere fluvii illi , quos in stemmatis suis defert Hungaria ! Cum tenuis adhuc , obscuraque ad nos delata est ex Urbe

Vien-

Viennensi fama: FRANCISCUM BAR-KOCZIUM PRINCIPEM, ARCHI-EPISCOPUM, atque PRIMATEM nostrum gravissimo implicitum morbo, nec jam curationis paciente animam prope age-re, atque extremos ducere anhelitus, mortem suam vel opperientem, vel jam oppetentem! Dispersus rumor illætabilis est a Die XI. Kal. Febr. qua prostratus, & gravissima debilitate in lectum dejectus fuit. Increbuit multo etiam magis, posteaquam perscriptum est IV. Die ante easdem Kalendas in tantum periculum ægrotum deductum esse, ut sub horam octavam vespertinam Sacerdotem ad se, quem jam dixi, acciri jusserit Ipse, ac ubi illuxit insequens, cælesti Convivio refici, atque hoc abundanti Viatico communiri expetierit ad in-eundam sempiterni illius ævi viam, iterque dif-ficillimum.

Fuitque reipsa tempus illud, quod supremum sibi ab optimo Numine concessum PRINCEPS Ipse rebatur: Quam autem putamus primam ei curarum fuisse in hoc tem-poris articulo? Ea nempe, quæ universo vitæ cursu laudabilissimo princeps ceterarum, nunc etiam unica fuit, Animi expurgandi, expian-

Y di-

dique, atque per accuratam noxarum confes-
sionem, cum Deo reconciliandi. Itaque nul-
la mora, & eodem adhuc vespere, nocte jam
gravi, densaque incumbente peccata qualia-
cunque totius antea&tæ vitæ, ducto ab ultima
pueritia initio in memoriam sibi redegit, Judi-
ci in Tribunali Sacro exposuit, atque vinculis
omnibus, in quæ se induisset, levari, expedi-
ri que poposcit; atque toto deinde, quo su-
perfuit tempore, lacrimis semper, creberrime
vero etiam Sacramento Pœnitentiæ, ceu la-
vacio quodam maculas Animi sui eluere labo-
ravit. O quanta hic Religio ANTISTITIS!
Quis dolor de admissis peccatis! Quam arden-
tes, inflamatæque voces, quibus veniam, pa-
cemque Immortalis Dei flagitabat, sarcinam-
que quamlibet contractæ labis auferri a se de-
precabatur!

Proximo mane, Pane Illo fortis, Christia-
nique Athletæ firmatur, et si relevari aliquan-
tum visus esset, vetuit tamen Sacerdotem a
se digredi, quin præcepit imo, ut lecto Ejus,
laterive semper hæreret, sibique ea omnia
suggereret seu præsidia, seu consilia, quibus
profectio tam ardua, tamque plena periculi
emolliretur utcunque: atque id quidem quasi

præ-

præscius repetendæ brevi lu^tæ monuisse visus
est, ultimo namque Januarii Mensis Die, cum
rursus noxarum suarum apud arcanum Judi-
cem reum se egisset, ere^{cto} Animo quamvis
follicito, & cupivit flagrantissime, & impera-
vit Augustissimum Mysterium solemni, cele-
brioreque apparatu ad se deferri, novum ut
robur ab eo acciperet ad luctationem perse-
quendam, felicique exitu terminandam. Quo
autem apparatu? ut pompæ videlicet huic,
comitandæ adesset omnis Domesticorum, Fa-
miliariumque suorum Chorus, & ipsa Fra-
trum, Sororum, Propinquorumque Illustrissi-
ma Corona, & voluit, & impetravit. O
quam pulchrum, jucundumque, nisi causa
luctum ingereret, Nobilissimæ, frequentissi-
mæque Urbi spectaculum, accommodatissi-
mumque etiam ad documentum, admoni-
tionemque capiendam, postquam constitit
palam id ab ANTISTITE Hungariæ Pientif-
fimo, Ejus videlicet iussione, petitioneque
adornari, qui jam jam excessurus e mortali vi-
ta, non desineret tamen exemplis singularibus
testari suam erga Deum Religionem puram,
sinceramque, & aliorum, inter quos versare-
tur, excitare!

Successere Kalendæ Februarii , neque se
tamen spes dabat ulla , fore , ut vis mali inter-
mitteret. Eo igitur die præcepit sacrificium
sanctissimum se præsente in altari perfici , cum-
que ex Eo Sacerdos , quæreret , quo consilio
rem Divinam fieri vellet ? vultu non ad mœ-
rorem , sed placidam quandam tranquillitatem
composito reposuit : *Ut Adimpleatur in me vo-
luntas Dei* , addens sanctissimi Antistitis Tu-
rōnensis Martini verbis : *Si populo meo sum
necessarius , servet me ; si minus , misereatur
Animæ meæ !* tum vero cieri , prorumpere que
adstantium lacrimæ , questus edi , lamentaque
personare totis ædibus ! cum unus Ille immo-
to Animo persisteret , sacrificantique magna
Pietate intenderet. Ubi perfectum est Sa-
crum , admonuit Canonicum suum a Latere ,
qui hoc præsertim statu Prælati sui , mensuram
nominis istius affatim implevit , velle , jubere-
que se , ut die postero , quicunque servos in-
ter suos censerentur , quicunque ab obsequiis
Aulæ essent , qui que munus quodvis nobilis-
simum in ea fungerentur , Sacra confessione
perpurgarent animum omnes , accumberent
deinde cœlesti epulo , immaculatam , inconta-
minatamque semper Virginem Dei Genitricem
præcipuo cultu observarent , amoreque profe-
que-

querentur, ac pro Domino quidem, PRINCIPEQUE suo ardentes ad Deum preces funderent, sibi vero veniam criminum ab eodem implorarent, ad frugem bonam se reciperen, atque a cunctis pravitatibus deductum Animum ad meliora confilia applicarent.

Est in Urbe Viennensi, Civitatibusque integris circumpositis ædium sacrarum, earumque magnificentissimarum per amplius numerus, Religiosorumque Domiciliorum, & Cœnobiorum in Urbe æque, atque in Pomæriis series magna, copiaque. In illis prostant publicam ad venerationem populi Imagines, miraculorum gloria, gratiisque a supremo Numine impetratis eorum, quos referunt, ope, interpolituque, celebres. In istis magna plerumque degit familia Virorum, Virginumque summa morum integritate, & vitæ innocentia. Hinc quoque sibi moritus FRANCISCUS extremo in agone præsidia, auxiliaque conquirenda putavit. Ergo quotquot Ei venere in mentem loca Sacra, Templaque, in quibus mira, viresque naturæ exsuperantia opera patrata, tabulis ex Aris pendentibus pio populo ostenduntur, atque ad perennem memoriam asservantur, cum Ipse adire non posset,

ad ea obeunda alios suffecit , Eleemosynis que
Sacris conduxit , qui sacrificia maximo nume-
ro facerent , qui que vota pro salute Ejus nun-
cuparent , & obsecrations ante Aras effunde-
rent . Nulla ferme Domus fuit hominum in
Pitum aliquod Sodalitium collectorum , Nofo-
comium nullum , nullum Orphanotrophium ,
carcer adeo nullus , receptaculumque misero-
rum hominum , quo pia Ejus largitio non per-
vasisset , opem aliquam **PRINCIPI** ægro
ex communi , solemnique comprecatione quæ-
situra.

Interea vis morbi etsi intermissionem ali-
quam concederet , diminutionem tamen non
admittebat , augebanturque cruciatus acerbif-
simi , qui cum circumstantes ad commiseratio-
nem commoverent , lacrimisque obruerent ,
non cessit dolori Magnanimus **PRINCEPS** ,
atque siquam vocem , nunquam certe que-
stum , ederet eam unam , quam pridie Nonas
Februarii primum , saepius deinde ingemina-
bat : *Libenter patior ! Plura promerui ! Magna
Dei Misericordia , quod me vel ita patiatur !*
Menteque in Deum penitus absorpta sic Eum
alloquebatur : *O Deus hic ure , hic seca , modo
ibi parcas !*

O quæ hæc fortitudo , æquabilitas , atque adeo Pietas in morte vel expetenda , vel perferenda ! quid autem dico in morte , cum tot mortes Ei fuisse dicere debuissem , quot luctæ fuere , intermissæ aliquando morbo cessante , ac feriante , sed resumptæ de integro toties , quoties malum vires novas sumpsisset ? o quæ promptitudo , alacritasque ANTISTITIS in acceptanda oblata a Deo necessitate ultima ! Quid autem memoro necessitatem , cum tot illæ fuerint , quot erant sævissimi , acutissimique morbi , omnes uni Ei enecando incumbentes , solumque de palma certantes , quis sibi laudem Herois interfecti præriperet , quando omnes virus jam diffuderant , quod vel sejunctum ab aliis lethalem plagam esset allaturum .

Septimo Idus Februarii cum ab iis non tam morbis , quam mortibus exhaustum , infraetumque corpus PRINCIPIS acrius perustum , laniatumque esset , exclamavit quidem PRINCEPS , sed clamor ille , non questus fuit ; ac piæ preces , ardentissimique , quos vocamus , affectus : *Libenter tolero omnia ! Phura merui ! Fiat voluntas Dei !* quæ quidem sancta suspiria , quis aliis ex causis profecta ,

atque a moriente emissâ existimet , quam a profundissima in conspectu Dei , quem præsentem sibi semper sîstebat , demissione , a detestatione macularum aliquando contractarum , & Animi pœnitentis ægritudine , ex perfecta voluntatis suæ ad Divinum nutum conformatio-
tione ?

Quare tum etiam , cum vi , copiaque tot dolorum incrudescente , Aprili Mense medio jam exacto scribi literas per eundem a Latere Canonicum suum jussisset , ad Vicarium Generalem Strigoniensem , itemque Scepusiensem perferendas , quibus graviter commendabatur , ut preces populo sibi dilecto , supplicationes que indicerent , ea usus est cautione , plene ad nutum Divinum jam attentus ANTISTES , ut eos commonefaceret , ea demum lege gratam sibi fore plebis subditæ pro salute sua compunctionem , si non id a Deo peterent , ut vitam in tempus longius prorogaret , sed id a Numine omni pietatis pretio pacifcerentur : *Ut adimpleatur in se Beneplacitum Divinæ voluntatis.*

Accedebat ad cruciamenta morborum interpolatim ægritudo Animi , sed cui se se in- geren-

gerenti constantiam prorsus excellentem, tan-
quam clypeum, quo retunderetur, objeciebat
PRINCEPS, non tam a magnitudine,
quam a sanctimonia mihi hic extollendus!
Eamque ob causam vulnus gravissimum, quod
Ei una, de abruimpendo ædificii Strigoniensis
secundo jam cursu cogitatio infigere poterat,
non consanavit, sed ut vidimus, prævertit,
avertitque, quando Templo nondum perfecto
Sacrificium voluntatis suæ, si non in eo, cer-
te de eo, magno Animo obtulit, immola-
vitque.

Induciæ intercessere aliquæ, non paœtæ qui-
dem cum hostibus corporis, sed a Deo con-
cessæ, ut in Patriam, Urbemque Domicilii sui
deferrri posset, Patrii soli auram supremam ex-
spiraturus. Revertit itaque, sed reverterunt
& debilitates, neque domi suæ reperit reme-
dium, quo depelleret ingruentem, & dense,
stipatimque affluentem imbecillitatem, ac ne
fisteret quidem impetum, sœvitiamque morbi.
Mense Majo exeunte, septimo Kal. Jul. gra-
vius, vehementiusque appetitus, querelis tamen
locum nullum dedit; atque cum adstantes cun-
æti respirationem ultimam præstolarentur, quam
frequentissime antea solliciti, mœstique op-

Aa perie-

periebantur , cum Deo Ipse versari , colloqui-
que cœpit : *O Deus meus , quain bonus es !*
Ego mille infernos promerui , & tamen me adhuc
toleras , tamque amplum pænitentiæ spatium mis-
ricorditer concedis !

At Mensis Junius decretorii certaminis te-
stis, spectatorque futurus , a Deo constitutus
(Quod tamen PRINCIPEM Ipsum vix
latebat) redintegratis de integro Religionibus
agi cœpit , peragi non potuit. Die quarto
Nonas Junias deletis iterum Sacra Confessione
noxis , tanquam pugnam jam jam capeſſitu-
rus , vexillum e manibus Sacerdotis exemit ,
Christi e Cruce pendentis simulacrum , & ,
Eja , inquit , Domine Tu mibi es testis , quod
non meam , sed Tuam quærām voluntatem ! Pa-
ratus sum vivere , & mori ! Fiat sancta Tua volun-
tas ! O quis has vires , hos sensus Pietatis ,
hancque Animi præsentiam morienti addidit ,
nisi mens innocentiae vel nunquam perditæ ,
vel tot piaculis , perpeſſionibusque recuperatæ
conſcia , vel ſpes veniæ Divino afflato accepta ,
vel expectatio felicis exitus eo rerum ſuarum ,
& rationum positu , quo Animus a corpore
exolutus recta ad Deum ſuum contendere poſ-
fit , nullis in via enascentibus impedimentis ?

Ne-

Neque tamen metum omnem arcana Dei confilia exemere.

Quare Die XVIII. Kal. Jul. quadriduo ante excessum suum Sanctissimum *Generalis*, ut ajunt, *absolutionis* beneficium ultiro Ipse a Sacerdote flagitavit, cumque ad infirmitatis vehementiam major semper fieret accessio, in Sacra æde Palatii sui magnum Pietatis Sacramentum adorandum exponi jussit, in cuius conspectu Sacrificia continenter, quotquot fieri possent, perpetrarentur, precandique contentio frequentaretur, nullo jam alio consilio Animo designato, quam ut sibi punctum illud temporis, quo e vinculis corporis, quod maxime cupiebat, elabetur, cum pie, religioseque actum, tum feliciter transactum decurrat.

Neque Deus ille Bonus pia PRINCIPIIS Sancti, atque ad reddendum Creatori Spiritum optime comparati vota, desideriaque aspernari visus est, ac ne morari quidem. Diem itaque XIV. Kal. Jul. Junii duodevigesimal vitæ sanctæ, laudabiliterque actæ, lumen supremam habuit ad summam claritatem, sive meridiem perductam, quæ ne deficeret, lumenque, ac splendor Pietatis Ejus decre-

scere una conspiceretur, cum hora diei prima post meridiem cursum iniit, ingressus & Ille est iter longinquum. Nec lucta visa est fuisse extremum illud momentum, sed placida quies, somnusque. Hora quinta sub exortum solis frangi primum vox cœpit, paulatim que minui, ac deficere, quod indicium fecit tristissimi fati imminentis. Hora duodecima cinctus est corona Sacerdotum formam Fidei, Spei, Charitatis, Virtutumque Christianarum præeuntium, meditationesque, ac preces ei tempori convenientes suggerentium, quos ANTISTES Religiosissimus, tota jam mente cœlo infixus, quando consequi non potuit, junctis, complicatisque manibus, oculis in cœlum identidem sublatis, admota crebro pulsando pectori manu, ductisque, quamvis ægre, suspiriis, ac singultibus, iis omnibus, quæ prælegebantur, annuebat; sed jam emoriebatur! Interpellatus postremo, num a Judice Sacro de integro absolvi cuperet, expeteretque, consumptis in conatu viribus omnibus, hanc articulatam vocem supremam formavit: *Omnino*, distincte, clarissimeque perceptam, atque intellectam. Minimo deinde tempore, cum vix verba Sacra recitata essent, ubi corpus ultimo Imperio in obsequium venire juf-

sisset,

fisset , atque ad quietem , tranquillitatemque se se componere ; egressus est Magnus
FRANCISCI BARKOCZII Animus , plenusque recte , sancteque factorum gloria ex hujus vitæ tenebris ad sempiternam lucem transmeavit.

Quo fugis ? Quo evolando properas Magni ANTISTITIS , Magnique PRINCIPIS , Major , Excelsiorque Spiritus ? Corporis enim latebris , carcereque liberatam Mentem quid jam aliud , quam quod natura est , Spiritum vocem ? sed num revocari se a me patietur , si clamore abeuntem insequar , si reverti orem , si saltem obtutum ad nos reflectere ? Verum , qui non vitam solum , sed amorem ipsum lucis hujus , si Strigonium suum , si Templum suum , nutu Dei , Speque Immortalium bonorum latus deseruit , ac prope projectit , si Exuvias , & indumenta sua , totumque corporis , in quo habitarat , Domicilium , si dignitatem , cultumque ejus omnem magna alacritate posuit , atque si jam , ut spem nobis optimam tristissimus juxta , atque Sanctissimus ad immortalem vitam transitus facit , jam in illud Beatarum Men-

Bb

tium

tium Concilium est translatus , neque gemitu ,
questibusque nostris commovebitur , neque
viam relegate , lacrimis , precibusque vocatus ,
neque admodum retro respiciet.

Imo respiciet , AA. OO. de excelsis illis
Sanctorum Spirituum Sedibus , deque Tem-
plo illo suo , quod secum hinc extulit , quam-
vis ornamenta ejus aliqua nobis reliquerit ,
crebroque etiam respiciet ex illo Templo glo-
riæ jam plenissimo in alia Templâ sua , quæ
vel extruxit , vel ædificavit . Vidistis Eum
in uno eorum Augustum SACERDOTEM , in alte-
ro spectatis ANTISTITEM pervigilem , cum
in tertio , quantum oculis , acieque mentis
Sanctimonia vitæ cerni potest , PRÆSU-
LEM Religiosissimum conspexissetis . O
quam digna Magno Ecclesiæ PRINCI-
PE quælibet hæc effigies , dignissimaque
etiam , quæ a nobis asservetur , atque tuto
aliquo , decenteque loco reponatur , in quo
seri Posteri , tanquam si Ei conviverent ,
intueri queant , & DIGNITATEM Domus
DEI a FRANCISCO PRIMATE re-
paratam , firmatamque , & ORDINEM Domus
DEI Sapientia , ac Potestate Ejus constitu-
tum , & SANCTITATEM Domus DEI ad finem us-
que

que vitæ servatam , defensamque , triplicemque hanc speciem unius Magni P R I N C I P I S nativis , minimeque fucatis coloribus expressam.

Sed quis locus tandem ille erit , & securus , & his simulacris servandis , atque ad futuram ætatem transmittendis idoneus , nisi Templo cuiquam idem sit simillimus , Templumque quoddam novum non a BARKOCZIO , sed BARKOCZIO tamen possum , dicatumque ? Nolite , quæso , succensere mihi , AA. OO. qui ad has cohonestandas exequias , supremumque Honorem mortuo PRINCIPI Magno persolvendum , atque ad deducendam , qualis in luctu excellere potest , a mœstitia , complorationeque comitantium maxima , funeris pompam apparatissimam , ex omnibus Hungariæ finibus confluxistis ! si hoc vestris sumptibus , impendiisque extrui , & collato a vobis ære illo , quod vel beneficiis , vel meritis FRANCISCI debetur ab omnibus , attolli petam , atque desiderem . Templorum tot , tamque Nobilium Authori , Artificique quid gratus , memorque animus , nisi Templum reddat ?

Non sum equidem nescius, Templa Uni
Deo ponenda esse: Altaria dedicari Sancto-
rum memoriæ quidem, sed neque his sacri-
ficia exhiberi, ac repræsentari. Non me latet
& illud: non Oratorum, sed Præsulum Ec-
clesiæ, hoc est: Vestrum hoc munus esse,
sociam Apostolicæ Sedi jungere operam, ad
quemquam in Sanctorum illorum Virorum nu-
merum referendum, quibus deinde in Imagin-
ibus etiam cultus adhibetur, quæ in Tem-
plis nostris palam exponuntur. Diversi gene-
ris Templum meditor, at Augustum tamen
illud, atque cum maxima **PRINCIPIS**
nostræ, de Ecclesia Dei præclarissime meriti
gloria exæquandum.

Legi enim, meminique ex adverfo Romæ
ab antiquis Urbis ejus Civibus ad cætera Deo-
rum sola vetustatis illius opinione Immorta-
lium fana, delubraque, Templum etiam Me-
moriæ, cui Numen aliquod inesse, ut ferme
rebus omnibus, credebant, dedicatum esse.
Video etiam Institutum hujusmodi non carere
laude sua, modo a superstitione omni, vana-
que Religione repurgetur. Indeque confice-
re posse mihi videor, Memoriæ BARKO-
CZIANÆ Templo erecto, nihil a nobis fa-

ctum

Etum iri , quod liberum non sit , integrumque , imo quod sit etiam convenientissimum , modo Numen illi nullum inesse credatur , ejusque Memoria ne ita quidem consecrata esse censeatur , quam sunt eæ Christianorum Athletarum , & quorumvis Sanctorum Animorum , qui solemni Ecclesiæ Judicio Beatis cœli Incolis , Indigenisque adscripti , Honores præcipuos obtinent sibi decretos .

Magnis igitur animis aggrediamur ad opus , nullis , auri , argentique impensis , sed solis pietatis nostræ adversus **PRINCIPEM** , defunctum Infulis , Magistratibusque suis , ac gratæ , memorisque mentis officiis exædificandum . Nulla de solo diligendo occurret , opinor , quæstio . Ampla utique est Hungaria , sed neque de fundamentis tantopere cogitandum mihi videtur , quando majora sunt Merita Desideratissimi hujus **PRINCIPIS** quam , ut non sufficiant substructionibus quantævis Basilicæ . De columnis solummodo , de Turribus , de Ornamentis faciei interioris , atque exterioris fatagendum , dispiciendumque . Sed , quis sibi partes sumet inchoandæ , atque perficiendæ molis , quæ

Cc

quo-

quovis ære, & marmore firmior esse de-
beat?

Hic ego vero, AA. OO. nihil definire possum, nec si possim, aut velim, aut mihi sumam, præsertim cum animadvertam suscitatam a me jam esse alacritatem omnium, ut primam sibi eo in conatu partem decerpere omnis Ordo contendat. Columnæ Ecclesiæ Hungaricæ, Antistites Maximi, præsertimque Archi-Episcopi Strigoniensis *Suffraganei*: Columnæ sacri, maximique Sacerdotum Collegii, & quod Agriæ, quodque Strigonii est, *Capituli*: Columnæ Regni, Optimates, Patriæque Patres: Columnæ Senatus, & Curiæ Regiæ: Columnæ Provinciarum, Civitatumque Hungariæ omnium: Num se subtrahent, ne testitudines, laqueariaque Templi sustentent, quod Assortori Ecclesiastici Ordinis, Dignitatis paratur, atque ne una cum Eo in Templo niteant, splendentque?

Ornamenta, quæ speciem Templi exteriorem absolvant, suppeditabit vetus, clarissimaque apud Hungaros BARKOCZIORUM

DE

DE SZALA Domus, Familia non admodum numerosa nunc constans, sed ampla Nepotum serie ad ultimam ætatem propaganda, quæ ipsa successio, Ordoque aliorum ex aliis nascentium, atque idem stemma, nomenque ferentium oblitterari non sinet pro merita FRANCISCI sui, qui ad Coronam Comitum, cæteraque Illusterrimæ Domus Decora Tiaram Principum adjecit. O quam Augustum Opus! cuius, quæ foris cernitur species, tot repræsentabit effigies, vivaque simulacra, in quibus virtus, sapientia, & dignitas PRINCIPIS Hujus rediviva orbi Hungarico se donabit!

Intus consistit corona Sacerdotum inferiorum, ingenti multitudine Ministrorum, & Candidatorum stipata, ordineque longe pulcherrimo disposita, quem in Domum Dei FRANCISCUS sanctissimis legibus scriptis, vulgatisque induxit, atque non minimus numerus Religiosorum Familiarum se adjunget. Atque illi quidem insculptas æri, marmorique Sacras constitutiones, atque tholis, parietibusque omnibus defluentes, hi vero in scutis suis Beneficentiæ BARKOCZIA-

NÆ vestigia , monumentaque digito indice
monstrabunt.

Pro Turribus & altis illis , & e terra ita
eminentibus , ut Cœlo nunciare queant , quæ
BARKOCZIUS , dum vixit , supremi
Numinis Majestati Templa dicaverit , adlege-
tur Sedes Episcopi Agriensis , Sedesque alte-
ra Archi-Episcopi Strigoniensis , Excelsa ultra-
que suapte , atque a **F R A N C I S C O**
A N T I S T I T E suo ad Celfissimum Immortalis
cujusdam gloriæ fastigium evecta , speculaque
quædam sublimis effecta , ex qua & præte-
rita Ecclesiæ suæ damna intuebatur , ut iis
mederetur , & futura ita prospiciebat , ut ca-
veret , ne quid deinceps Ecclesia Dei detri-
menti capiat . Nec Corona tegendo vertici
deerit : atque in uno quidem fulgebit non
impar tantæ rei Infula Agriensis umbra sua
tredecim integras Regni Regiones , in altero
eminentior Strigonensis , pallio suo haud pau-
lo plures ambiens , complexaque .

Non jam igitur lacrimas nostras , non que-
stus , lamentaque sibi deposit Magnus , feli-
cissimusque Spiritus **ANTISTITIS** , **P R I N-**
C I-

CIPISQUE Optimi , sed ut Nomen Ejus
clarissimum , & universa magnitudo Excelſæ ,
Sanctæque Mentis, hoc eſt: MAGNIFICEN-
TIA Ejus IN CULTU DEI, SAPIENTIA
IN IMPERIO SACRO, SANCTIMONIA IN
VITA OMNI, Animis nostris infigatur , altiſ-
ſimeque demittatur , atque de manu veluti in
manus tradita , ad ſecula ventura propagetur ;
& ſtabit , perſtabitque Templum Memoriæ
BARKOCZIANÆ ſempiternum.

D I X I.



D d

五〇